

II K
2074



M, II, 141.
37, 23.
[= 475, 23]

ANDREAE WAGNERI
LL. AA. ET I. V. D.
DE
DISTINCTIONE
TERRITORIORVM
IMPERII
IN CLAVSA ET NON CLAVSA
DISPV TATIONES DVAE

ALTERA
AMPLISS. ORDINIS PHILOSOPH. CONSENSV

A. D. XXVI. IVL.

ALTERA
ILL. ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

A. D. III. AVG. CICIOCCCLII
PRO

LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI
AD DISCEPTANDVM PROPOSITAE.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



REVERENDISSIMO
ATQVE
ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
HENRICO
SAC. ROM. IMP.
COMITI
DE
BRVHL

LIBERO BARONI

DE

FORSTE ET PFOERTHEN

DYNASTAE

CLIENTELARVM

GROSCHWITZ PESTERWITZ

BRVCKEN

R A H N I S D O R F F

C E T

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
REGIS POLONIAE
PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE
MINISTRO STATVS INTIMO
A CONSILIIS SANCTIORIBVS
REGII CVBICVLIS
SVMMO PRAEFECTO
REGNI POLONIAE
SVPREMO REI TORMENTARIAE PRAEFECTO

EXERCITVS SAXONICI PEDESTRIS

P R A E F E C T O

CAMERAE REDITVVM PVBLICORVM

COHORTI EX TRIBVTIS

ET VECTIGALIBVS GENERALIBVS

DIRECTORI S VPREMO

COHORTIS PRAETORIAE SAXONICAE IN POLONIA

ET LEGIONIS PEDESTRIS

P R A E F E C T O

O V S O N I C O D

CAPITVLI S. PETRI BVDISSIONENSIS
P R A E P O S I T O
ORDINVM
AQVILAE ALBAE
S A N C T I A N D R E A E
AQVILAE NIGRAE
E T
S. ALEXANDRI NEVSKI
E Q V I T I



DOMINO SVO
INDVLGENTISSIMO

D. D. D.

ILLVSTRISMI NOMINIS

CVLTOR DEVOTISSIMVS
ANDREAS WAGNERVS.

DISPV TATIO PRIOR HISTORICA
DE
DISTINCTIONE
TERRITORIORVM
I M P E R I I
IN CLAVSA ET NON CLAVSA
QVAM
AMPLISS. ORDINIS PHILOSOPH
CONSENSV
A. D. XXVI IVLII CIO IOCC LII
AD
DISCEPTANDVM PROPONIT
ANDREAS WAGNERVS

A. M.

RESPONDENTE

IOSIA LVDOVICO ERNESTO
P VTTMANN O

O STRAVIENSI - SAXONE

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

DISPUTATIO PESTORI HISTORICÆ
DE
DISTINCTIONE
TERRITORIORVM
IMPERII
INCIVAS ET NON CIVAS
GATV
THESSEODORIS PESTORI
CONSENSUA
PRAEVARIA LATERIS CONSECUTA
AD
DISPUTATIONEM PESTORI
MAGISTER AEGENRAS
ET
THESES PESTORI
IOANNI LUDOVICO BINGERO
SATURNIO
CONSENSUA
PRAEVARIA LATERIS CONSECUTA
AD





CAPVT I.

INSTITVTI RATIO EXPONITVR, ET GENERALIA
QUAEDAM DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII
IN CLAVSA ET NON CLAVSA DISSErvNTVR.

D distinctionem territoriorum Imperii Romano-Germanici in clausa et non clausa, a multis Iuris Publici Doctoribus receptam, plures tamen, recentiorum in primis haud pauci, repudiarunt, adeo, ut magna sit Iure Consultorum dissensio, quibus ea constituta sit fundamentis, quae auctoritas eius atque vis, quaeque eius habenda sit ratio? Habet omnino ius *Landaffiatu*s, ad quod potissimum omnis illa de territoriis clausis et non clausis quaestio spectat, cum aliis iuribus non nisi longo vsu constitutis et sanctis, quorum origines plerumque admodum dubiae sunt atque incertae, habet, inquam, hoc commune cum illis, ut haud liquido constet, unde sit ortum, quoque in primis titulo introductum. Itaque mirandum non est, in tam diuersas circa hanc ipsam quaestionem sententias viros doctos abiisse, aliosque ipsam

A 2

distin-

4 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

distinctionem explosisse atque eieciisse, alios, re quidem retenta, de verbis tamen magna varietate disceptasse. In quo quamquam plurimos valde obscure et inconstanter esse versatos deprehendes, id tamen, si diligenter penitusque de argumentis eorum cognoueris, exstabit atque manifestum erit: ea *territoria plerisque clausa vocari, in quibus omnia, quae sunt in territorio, seu, quae finibus eius continentur, regulariter etiam de territorio*, i. e. superioritati et iurisdictioni vnius domini subiecta esse (voce vernacula, *in und unter ihnen gesessen*) *praesumuntur, quoad exempta esse, probatum sit.* Nec praeter rationem sic viri docti statuisse videntur. Constat enim ex superiorum temporum historia, in quibusdam Germaniae regionibus Duces aliquosque Principes, occasionem res suas et potentiam augendi, finesque ditionum suarum utrobius dilatandi nactos, ea non strenue tantum, sed tam felici quoque successu esse vlos, vt omnes, qui intra territorii alicuius fines confidunt, oppresserint, iisque ad ditionem suam redactis, certos regionibus suis fines terminosque constituerint. Quod quamquam aliarum prouinciarum Duces et Principes etiam molitos esse sciamus, tam parum tamen euentum consiliis respondisse constat, vt qui in iisdem territoriorum finibus essent, Comites, Dynastae, Nobiles et Ciuitates, quamquam opibus, armis et potentia minus valerent, iura tamen sua pristinamque libertatem feliciter vel conseruauerint vel recuperauerint. Quare cum in omnibus de superioritate et subiectione contentionibus maxime id obtineat, vt eius, quae plerorumque fors sit, habeatur ratio; velut in illis regioni-

gionibus, in quibus plerique minores prouinciae status, Ducibus Principibusque resistendo, vt incolumem seruarent libertatem, peruerterunt, hi quidquam imperii in illos sibi arrogare prohibentur, nisi quo iure illud fiat, distinctis atque perspicuis argumentis docere possint, sic in iis quoque territoriis, in quibus omnes, aequa antea libertate visi, in arbitrium tandem atque potestatem potentioris Principis venerunt, si qui sint, qui, excusso dominationis alienae communisque imperii iugo, libertatem pristinam affectent, quo iure quoque titulo id sibi sumant, idoneis argumentis probare debent. Instituti ratio eiusque, in qua defendendam hanc suscipimus commentationem historicam, cathedralia leges de principiis et fundamentis, deque natura et pondere distinctionis nostrae plura differere et accuratius in territoria clausa et non clausa, quae sint, quibusue declarantur signis, inquirere haud patiuntur. Attingenda ideo haec, quae diximus, erant, vt intelligatur, in quaestione, an aliud territorium clausum vel non clausum sit? aequa ac in multis aliis de Iure Publico quaestzionibus ad ipsas rei Germanicae origines nobis adscendendum, atque ex historiae monumentis et actis publicis fundamenta iuris constituenda esse. His igitur cum dissertationis huius fines terminique describantur, quos egredi vetamur, nos, si obscura nonnulla, vel adhuc dubia videantur, eo facilius ab aequis harum rerum aestimatoribus veniam impetrabimus, si meminerint, ad certam atque definitam legem formandam nobis orationem, omniaque, quae proprius ad Iuris Publici et Feudalis scientiam accedunt, omittenda fuisse, et in alte-

¶ DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

ram, quippe quam scripsimus, *de distinctione territoriorum Imperii in clausa et non clausa Iuris Publici dissertationem* reiicienda. Itaque hoc unum nobis posuimus, atque ponere iussi sumus, de quo hic differeremus, ut ostendamus, qua ratione ex historia cuiuscunq[ue] territorii, vel clausum illud esse, vel non clausum demonstrari possit, et ad quaenam tempora origo *Landsassiatu*s, quippe *specifici*, quem vocant, territoriorum clausorum *characte*ris sit referenda. Nec, nisi prorsus fallimur, rem agimus aut inutilem, aut ab aliis iam ita expeditam, ut nihil amplius desiderari possit. Ab est enim doctrinae de territoriis clausis et non clausis fundamentum ex historia repetitum, quod a plerisque, qui per tractandam eam sibi sumserunt, aut turpiter ignoratum, aut plane relictum, aut temere excogitatum est. Nam si a MENCKENIO^{a)}, WERNHERO^{b)} atque AVCTORE *Examinis Dissertationum Pucholtzianarum*^{c)} discesseris, et aut BESOLDVM aut SPEIDELIVM aut MYLERVM aut cum, qui recentioribus distinctionis nostrae fautoribus semper in ore est, HILDEBRANDVM^{d)} reliquosque laudatos saepe viros consulas, quamquam ex his alias

a) LÜD. MENCKENII *Dissert. de vi superioritatis territorialis in territoriis Imperii clausis Lipsiae 1712 habita.*

b) IO. BALTH. WERNHERI *D. de probatione Landsassiatu*s ex situ terrarum. Wittebergae 1717.

c) E. D. H. E. M. *Examen Dissertationum ex Iure Publico et Feudali de Iurisdictione Feudali et Superioritate territoriali nec non de natura et praerogatiis Regni Boemiae super editorum a Cl. ICto Wenzesl. Xauerio Neumanno de Pucholtz.* Lips. 1718.

d) HENR. HILDEBRANDI *D. de territorio clauso et non clauso sive mixto.* Altorfii 1715.

IN CLAVSA ET NON CLAVSA.

alius alio accuratius rem tetigisse videtur, neglectis tamen
historiae monumentis, exilibus suis ratiunculis viros alioquin
prudentes et se et alios delusissimis animaduertentes. Longe alia
istorum est ratio, qui, cum omnem Iuris Publici notitiam
Imperiique Romano-Germanici formam ex historia patriis
que legibus hauriendam esse inteligerent, rationem quo-
que diuersae formulae, qua territoria clausa et non clausa,
quae hodie vocamus, inter se distant, ex pristina prouin-
ciarum imagine repetendam censem. Horum constans at-
que communis opinio est, veram territoriorum clausorum
originem verumque insigne esse: *si veteres Ducatus aut*
Principatus in eo statu, in quo ante fuerunt, ad nostra etiam
tempora permanserint; ea vero in quibus, mortuis veteri-
bus Ducibus aut Principibus, penes quos olim summa in
prouinciis fuit potestas, noui non successere, sed Ducatus
Imperio immediate subiecti sunt, pro territoriis clausis
agnosci non debere. Ex antiquis ergo temporibus arcessen-
dam esse hodierni status formulam, conuenit inter illos.
Sed in definiendo ipso tempore tanta obtinet opinionum
varietas et dissensio, ut nulla fere sit memorabilis historiae
veteris aetas, quam non in partes suas traxerint discrepan-
tes inter se Iuris Publici Doctores. Ut enim eos praeter-
mittam, qui antiquissimo aeuo, quo innotescere coepit Germanorum nomen Romanis, vestigia ac prope incunabula
Landaffatus reperiunt, alii ad Merouingorum regnum, alii
ad Imperii Romano-Germanici primas origines proximaque
originibus adscendent. Qui extincta cum Ludouico Re-
gum familia, qui suo arbitrio Germaniae imperauerant,

nouam



§ DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

nouam extitisse Regni formam scribunt, ad ea quoque tempora originem *Landaffiatu*s referre non dubitant. Sunt, qui decantata ista de Archiprincipibus in Germania doctrina egregie rem omnem explicatam esse putent. Sunt, qui C O C C E I V M secuti, in fictis ab eo prouinciis immediatis territoria non clausa, in mediatis clausa se inuenisse sibi visi sunt. Quae tamen Germaniae diuisio cum minus arrideat aliis, ad quinque illos, Saxonum in primis temporibus ad modum potentes, Ducatus prouocant, atque ita demum, ex quo vera diuisionis illius ratio adpareat, se attulisse opinantur. Sed et operis haud exigui et a nostro instituto plane alienum foret, omnes eruditorum opiniones et coniecturas, ne dicam, excutere, sed tantum enumerare. Igitur de praecipuis tantum videamus, hisque, quae nobis de ratione origines *Landaffiatu*s definiendi vera visa sunt, addamus. In quo ne parum felices atque inuita fortasse Minerua versemur, vere- mur. Cum enim eadem fere sit *Landaffiatu*s origo, quae superioritatis territorialis, haec vero non ubique eodem tempore sit introducta et stabilita, quis quaeso non videt, viam, qua in probando pleno *Landaffiatu* incedendum est, diligenter monstrati non posse, nisi de aliquo Imperii territorio, clausum illud esse, ex veris principiis demonstretur? Quod quamquam difficillimum esse experti sumus, tantum tamen absfuit, vt haec nos deterruisset difficultas, vt potius animum addiderit, in quaestione de territorio clauso Landgrauiatu nostri Thuringici, quid valeant vires, periclitandi. Sed temporum angustiis inclusis, et improuisa accelerandi labores necessitate pressis, desituenda inchoata erant,

erant, atque generatim et vniuerse de territoriis clausis et non clausis differendum. In quo negotio peragendo, si nobis non popularem, sed summorum istorum virorum, quorum fauorem mereri cupimus, eam nobis conciliaremus gratiam, vt nos aliquando in pertexendo eo, quod exorsi sumus, aliquid praestituros, benetiole putarent, in praesenti enim nos aliquid praestare nec opinamur, nec ullus a nobis expectabit; mirifice ea nos confirmaret, vt alio tempore, quae conati sumus, eruditorum examini subiiceremus, summisque viribus contenderemus, vt tanto fauore videremur aliquando dignissimi.

CAP VT II.

ORIGINEM TERRITORIORVM CLAVSORVM NON
EX ANTIQVISSIMO GERMANIAE ANTE CAROLINGOS
STATV REPETENDAM ESSE OSTENDITVR.

Dum vero ex antiquissimis istis temporibus, quibus Germaniam ad Romanorum imperium adiunctam esse, iisque expulsis, Francorum armis paruisse legimus, argumenta pro *Landassiatu pleno* territoriorum clausorum duci non posse negamus, haud id agimus, vt viros clarissimos deque patria immortaliter meritos reprehendamus, qui Iuris Publici origines a primis rerum Germanicarum incunabulis atque vicissitudinibus repetunt, omniaque eius capita ad id, quod ab istis iam temporibus diuturno vsu atque consuetudine inualuit, referunt. Hoc tantum concedi nobis postulamus: in primaeva hac reipublicae imagine perlustranda neque diutius, quam par erat, commorandum, nec praeter

B

quam

40 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

quam rei natura fert, causae grauis praefidia firma in illis temere quaerenda esse, quae, cum incertis ac fere nullis rerum gestarum monumentis tradantur, vix quisquam sine temeritate aut affirmare aut refellere ausit. Tanta enim caligine huius aevi premitur historia, vt aegre Germaniae, varietate gentium constantis, fines atque populos definire et enumerare, nedum singularum eius prouinciarum terminos atque formam, Regum Ducumque auctoritatem potestatemue et eorum, qui sub imperio Principum fuere, conditionem describere possis. Aberat enim, quod constat, historia maioribus nostris. E graecis ergo et praecipue latinis scriptoribus petenda eius notitia, quorum quam exigua quaeso in his potest esse auctoritas! Datur haec veniam scriptori in Germania hospiti, suis moribus assuefacto, vt cum suis peregrina comparando, haec ex illis ingeniose coniciat. Sed si parum quoque in iis, quod raro fit, a veritate aberrauerit, minus tamen argumenti in re, non in coniecturis posita, sed rationibus et documentis confirmanda, scriptoris opinantis magis, quam verum videntis praebabit narratio. Praeterea iis, quae tunc Germaniae fines incoluerunt, gentibus aut inde expulsis, aut mira ista magnandi cupiditate educatis, cum aliae earum regiones occuparent, minimis momentis maximae factae sunt temporum inclinationes atque crebrae finium et totius Germaniae status legumque mutationes. Qui ergo quaeso potest in eiusmodi arguento vis esse atque pondus? et quanam ratione ex eo, quod aliqua veteris Regni Teutonici natio Regi aut Duci subiecta fuerit, nostra tempora Principumque nostrorum

ſtrorum iura colliges? Sed, inquis, si gentis, quae ho-
die adhuc viget, maiores in Regis aut Ducis ditionem
iis iam temporibus veniffe, sumمامque imperii penes
Principem fuſſe, probauero, vietas dabis manus. Ne
tunc quidem a me extorquebis affenſum, niſi prius demon-
ſtraueris, eam gentem iam olim iisdem, quibus hodie in-
cluditur, inclusa finibus prouincia habitaffe, atque eandem,
qua hodie gaudent, tunc nactos eſſe, et, in quo momen-
tum maximum positum eſt, incolumem ab omni vicifitu-
dine vsque ad noſtra tempora conſeruaffe Principes potesta-
tem. Quod vero nullis argumentis effici poſſe, niſi pa-
triae historiae plane expers haud aegre concedet. Sed age,
luculentum huius rei ex Thuringia capias exemplum. An-
tiquissimis temporibus Reges eam habuiffe, et poſt, Fran-
cis imperium tenentibus, in Ducatum redactam eſſe con-
ſtat, et diligenter admodum probauit STRVVIVS^{e)}, nec
inter praecipua argumenta, quae Thuringiae Landsaffiatum
demonſtrent, hoc referre dubitauit. Sed parum in hoc
probando eum adiuuat, ex AVCTORE de Landgrauis Thu-
ringiae poſt SAGITTARIVM et ALBINVM docuiffe,
Heroldum, Merouigum, Bassinum et Hermenfridum, an-
tiquos Reges, Thuringiae imperaffe, multa paeclare ab iis
gesta, plurimosque Duces, quos ſigillatim enumerat vir
doctus, conſtitutos eſſe. Qua enim potestate Reges iſti
viſi fint, id admodum eſſe obscurum, superioritatem terri-
torialem tempore Caroli M. ignoratam, Duces dominos
territorii Comitum non fuſſe, Thuringiam iure haereditario

e) in D. de Iure Landsaffiatus in Thuringia, Seſt. III. §. 2.

15 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

non possedisse, an, Carolo M. ac Ludouico Pio imperan-
tibus, Thuringia suos Duces habuerit? dubium esse atque
incertum, destruetum denique prorsus et Regnum et Duca-
tum concedere cogitur. Magis adhuc haec Regni Franco-
rum initia Auctor *Examinis Dissertationum Iuris Pu-
blici ac Feudalis a Neumanno de Pucholtz editarum*^{f)} vrget,
quem ob singulare et egregium historiae et Iuris Publici stu-
dium, quo omnes, qui diuisionis nostrae causam peroran-
dam suscepserunt, longe antecedit, valde admiramus. Vtrum
Duces dignitatem suam haereditario iure possederint, et suo
imperio prouincias rexerint, an tantum magistratus, Regum
arbitrio facti, dici debeant, haec singula prolixiori opus non
habere discussione, acute non minus quam vere existimat,
modo hoc certum sit, atque exploratum, *Comites iis iam
temporibus sub Ducibus fuisse.* Iam vero nos non nega-
mus, Duces, qui apud Francos horumque ex Merouin-
gorum gente ortos Reges prouincias regebant, Comitibus
honore ac potestate superiores fuisse, pluresque interdum
(nam commentum de duodecim Comitatibus vni Duci sem-
per subiectis dudum iam explosum est ab eruditis^{g)}) Comi-
tatus ipsorum curae commissos. Eoricus enim Gothorum
Rex Victorium Ducem septem Ciuitatibus praefecisse tradi-
tur^{h)}; Nicetum a Childeberto Rege vrbi Arvernae Ru-
thenae atque Vctiaeⁱ⁾, Ennodium Turonicis atque Pieta-

vis

^{f)} Cap. VII, §. 6. p. 71.^{g)} HERTIVS de Orig. et Progressu specialium R. G. I. Rerumpublica-
rum §. 4. in Opusc. Vol. II. T. II. p. 9.^{h)} GREGOR. TVRONENSIS Lib. VIII, c. 26. p. 396. Edit. Ruinarii.ⁱ⁾ IDEM Lib. VIII. c. 18. p. 391.

vis¹⁾) Duces datos esse legimus. Noricorum Principi novem Comitatus, regnante Pipino, paruisse constat^{m)}. Iisdem temporibus duodecimⁿ⁾, posterioribus quindecim Comitatum^{o)} vni a Rege subiectorum mentio occurrit. Verum hoc neque semper obtinuit, plurimosque Comites iam Merouingorum aevo nulli Ducis subiectos occurrere, apud scriptores videoes^{p)}, nec ex horum, quos laudauimus, verbis patet, Comites Ducibus paruisse. Duces non nisi in bello et disciplinae militaris ratione habita, Comitibus imperasse, vel inde appetat, quod Comites a solis Regibus constituebantur^{q)}, nomine iporum iurisdictionem suam

B 3

exer-

l) IDEM Lib. VIII. c. 26. p. 396.

m) FRAGMENTVM Chron. Ilminensis apud Canisium, Antiquar. Lection. T. IV.

n) VITA ALDERICI Episcopi Cenoman. n. 1. EGINHARTVS Annal. Francor. ad an. IOCCXLVIII. ANNALES FRANCORVM FVL DENSES ap. Duchesnium in Scriptor. Rer. Francic. T. II. conf. PITHOEI Advers. L. I. c. 8. HERTII Notit. Franc. c. 5. §. 22.

o) DITMARVS L. IV. apud Leibnitium p. 354.

p) FREDEGARIVS Chron. c. 78. p. 649. Edit. Ruinardi: Exceptis Comitibus, qui Ducem super se non habebant. IDEM c. 37. p. 617. GESTA DAGOBERTI L. I. c. 36. apud Duchesnium in Script. Rer. Francic. T. I. p. 583. Praeter Comites plurimos, qui Ducem supra se non habebant. In Burgundia, teste DITMARO L. VIII. p. 407. nullus vocabatur Comes nisi is, qui Ducis honorem possidebat.

q) GREGORIVS TVRONENSIS Histor. Francor. L. IV. c. 40. p. 181. Comitatum in urbe Gaballitana, Sigiberto Rege impertiente, promeruit. IDEM c. 42. p. 182. Peonius vero huius municipii Comitatum regebat, et ad renouandam actionem munera Regi per filium transmisit. (Vocabulo actionis officium notari, patet ex MARCVLF. L. I. Form. 8. p. 380. T. II. apud Baluzium: Ideo tibi actionem Comitatus

mitatus

exercabant^r), ab eorum sententiis immediate ad Reges, non ad Duces, quorum auxilium tum demum adhibebatur, si Comes quendam coercere non posset^f), prouocabatur^t nec Comites a Ducibus, sed a solis Regibus iudicabantur^u), ad Comitia vocabantur, atque conuentibus publicis aderant^x), indeque maximis elogiis ornabantur^y). Sed quid multa? Quaecunque placent viris doctis, largiamur. Ad nostras leges eius aeuī respuplicas sibi fingant. Summam imperii penes Duces fuisse, Comites, Dynastas, Nobiles eorum potestati subiectos, homagia praefitisse, tributa soluisse, omnia ex arbitrio Ducum pependiisse, atque hodiernam *superioritatem territorialem plenumque Landassiatum* in eorum terris viguisse, lubenter concedimus. Id tamen nullo

mitatus, Ducus ac patricius ad agendum regendumque commisimus. IDEM L. VIII. c. 18. p. 391. Guntchramus Rex Theodulfum Andegauis Comitem esse decreuit.

r) GREGORIVS TVRONENSIS L.VIII. c. 18. p. 391. ubi de Theodulfo a Rege constituto, a ciuibus repulso: recurrens, inquit, ad Regem iterum praeceptum accipiens Comitatum rexit. MARCVLF. L.I. Form. 8. p. 380. T. II. apud Baluzium.

s) Titr. 36. §. 6. LL ALAMANN. apud Lindenbrog. Cod. LL. Antiq. p. 372. Et si talis persona est, quam Comes in placito distingere non potest, tunc cum Dux legitime distingat.

t) MARCVLF. L. I. Formul. 28. p. 389. T. II. apud Baluzium. confer. CONRINGII Exercit. de Iudic. Reip. Germ. §. 23. apud Pistorium p. 474. HERTII Notit. Regn. Francor. c. 5. §. 56.

u) Exemplum Garacharii Comitis apud GREGOR. TVRONENS. L. VIII. c. 6. p. 360. vide. Plura alibi passim.

x) LL. ALAMANN. apud Lindenbrog. Cod. LL. Antiq. p. 363. conf. THOMASIVM de Orig. feudal. f. 15. lit. k.

y) Testantibus passim formulis MARCVLFI conf. BIGNON. in Not. apud Baluz. T. II. p. 962.

nullo modo negari potest, atque extra omnis dubitationis aleam positum est, omnis Germaniae statum Caroli M. tempore prorsus immutatum, Ducum potestatem valde immunitam, terras eorum, in pagos diuisas, Comitibus, qui vicario munere fungerentur, et a Regibus pro arbitrio dari et remoueri possent, esse demandatas ^{z)}), adeoque genuinum istum, quem vocant territoriorum clausorum characterem: ut veteres Ducatus aut Principatus in illo statu, in quo antea fuerint, ad nostra tempora peruererint, evanescere, et quaecunque demum ex illorum temporum historia studiose afferas, rem nostram nihil prorsus iuuare.

CAPVT III.

TERRITORIORVM CLAVSORVM FORMAM SVB
CAROLINGIS IGNORATAM FVISSE PROBATVR.

Contra eos itaque potius disputemus, qui sub Carolingorum imperio origines *Landaffiliatus* querunt, qui busque pugnant rationibus, quodue earum sit pondus videamus. In quo vt breues atque concinni simus, nec id, in quo cardo disputationis nostrae vertitur, quodque in varietate temporum rerumque positum esse diximus, centies repetamus, cum singulas prouincias percurrere, quae earum forma, quaeque Ducum Principumue hic vel alibi fuerit potestas, hoc loco excutere, non vacat; paucas tantum obseruationes veluti per saturam proferre liceat. Scilicet

z) TRITHEMIUS de Orig. Francor. ad an. 742. VADIAN. L. I.
de Coen. et Monast. Germ. vet. LAZIUS Commentar. de Republ.
Rom. L. II. c. 9.

16 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

licet hoc primum monemus, qui cum Carolingiorum, tum
Saxonicorum Imperatorum aevo occurrunt, Duces haud
vno sensu ita vocari. Alii nil praeter militare imperium
gesserunt. Talis Gero Dux et Marchio in Slavicis terris
fuisse videtur ^{a)}). Neque alia defunt exempla, vbi qui Du-
catui numquam praefuerere, Duces audiunt ^{b)}). Alii veluti
Praefides seu Praefecti Regum vices eorum in vniuersa pro-
vincia ^{c)}, saepe in singulis Ciuitatibus ^{d)} sustinebant. Alii
non

^{a)} DITMARVS L. II. p. 333. DIPLOMA OTTONIS I. quod ex-
bibuit ECCARDVS in His. Geneal. Prince. Saxon. Super. p. 129. n. n.
in quo Gero dilectus Dux ac Marchio vocatur. Duxem vero num-
quam fuisse, constat ex WITICH. Annal. L. III. qui copioso de eo
agit, sed hoc nomine tantum ornari, quod exercitum saepius duxi-
set contra Slavos. Primum vero praefudit in Epitaphio apud MEI-
BOMIVM R. G. T. I. p. 703. vbi Dux appellatur, quippe ante
CCCC circiter annos decum, ut putant plerique, exstrucione collo-
candum. Plus auicoritas in REGINONIS Continuat. ad an.
CMLXV. p. 83. inest testimonio: Gero Marchionum nostri tem-
poris optimus praecipuus obiit.

^{b)} Eodem elogio Theodoricus Geronis successor insignitur apud DIT-
MAR. L. III. p. 345. et CHRONOGR. SAX. ad an. CMLXXXII.
plura vide apud PFEFFINGER. ad Vitriar. L. I. Tit. 17. §. 5. a. i.
T. II. p. 586.

^{c)} Ipse Otto M. in litteris apud WITICH. L. III. Annal. p. 661. Duxes
Saxonie Praefectis annumerat: Otto Imperator Augustus Hermanno
et Theodorico Ducibus ceterisque publicae rei nostrae Praefectis.
MARCVLF. L. I. form. 8. p. 380. apud Baluz. T. II. Quicquid de
ipsa actione in filiis ditioribus speratur, per temet ipsum (Duxem
vel Comitem) annis singulis nostris aerariis inferatur. REGINO
ad an. CMIX. p. 37. Duci, qui Phrysiam praeuidebat, et apud
WITECHINDVM p. 649. Edit. Meibom. exflat, Bertholdum Boioa-
riam procurasse.

^{d)} GREGORIVS TVRONENSIS L. IX. c. 7. p. 194. Cum Ducatum
urbium Turonicae ac Pictauae ministraret.

non ut Oficiales et Praefides, sed ut domini prouincias populosque rexere. Ipsis denique Comitibus hisce temporibus commune cum Ducibus hoc nomen fuisse, magno, si opus esset, exemplorum numero probare possemus^e). Vnde SCHILTERVS^f) in rationes, cur nulla fere Carolingorum aevo Ducum in Germania mentio fiat? accuratius inquirens duas potissimum prodit, primam: nomina Ducum et Comitum promiscue tunc usurpata; alteram: dignitatem Ducalem vbique fere nonnisi magistratum fuisse; vtramque vero multis firmat exemplis et documentis. Quorundam vero haec? ut intelligas, quam caute eius aevi scriptores legendi et explicandi, ac parum accurate ex titulo Ducis passim obueniente Ducatum summamque Principum potestatem colligi. Non enim Ducis adpellatio rem conficit. Quod si eos, qui aevo Carolingorum et Ottonum Duces adpellantur, omnes Ducatus habuisse existimemus, immensa Ducatum copia emerget. Inde tam mira eruditorum dissensio. Sunt enim, qui, vbi apud THEGANVM^g), aut in ANNALIBVS FULDENSIBVS^h) et BERTINIANIS

NIS

e) *Quae magno studio collecta inuenies apud PFEFFINGER. ad Vi-*
triari. L. I. Tit. 16. §. 11. v. 10. T. II. p. 88. et ECCARD. in Catechesi
Theodisca, p. 150 seqq.

f) *Institut. Iur. Publ. T. II. L. 4. Tit. 8. §. 3. p. 74.*

g) *de gestis Ludouici Pii apud Duchesnium T. II. Script. Rer. Franc.*
p. 284.

h) *ad an. DCCCXLIX apud Duchesnium T. II. p. 550. et ad an.*
DCCCLXXX p. 572.

C

NISⁱ⁾) Ducatum Alemanniae, Alsatiae, Ripuariorum aliorumque mentionem fieri vident, defuncto Carolo M. sub filii Ludouici regno Duces pristinis honoribus restitutos atque prouinciis praefectos fuisse arbitrentur. Contra alii vero magna contentione asseuerant, raram admodum et fere nullam Ducum atque Ducatum sub Carolingis fieri mentionem¹⁾), Alemanniae, puta Teutonicae, Ducatus sub ipsorum regno ne minimum quidem exstare vestigium^{m)}), de Alsatiae Ducibus Hermanno et Vdone in chartis eiusdem aetatis et apud scriptores temporibus istis proximos altum esse silentiumⁿ⁾); Ripuariorum vero aliquos Duces prorsus illi ignorant. Et caue putes, *Principum* nomine in antiquis diplomatis Duces vel Proceres a Comitibus diuersos, vel qui iustum Principatum tenebant, venire. Communis haec est appellatio omnium regni procerum, omnesque status, vt pote primarii Regis Officiales, *Principes* vocabantur^{o)}; quales erant post Duces Comites, quo verbo Marchiones, Landgrauii, Burggrauii aliique comprehendebantur^{p)}. E quibus omnibus manifesto adparet, Carolingorum aetate Duces non propria potestate, sed aliena et a Regibus ipsis demandata polluisse, et ab officio ita appellatos fuisse. Et si enim iam quondam inter Officiales, vt vocantur, ordinis rationem esse habitam, non negamus, at-

tamen

ⁱ⁾ ad an. DCCCXXIX apud Duchesnium T. III.

1) PFEFFINGER. ad Vitriar. L. I. Tit. 16. §. n. v. 4. T. II. p. 86.

m) IDEM ibid. v. 15. n. 8. p. 303.

n) IDEM ibid. p. 304.

o) CONRING. de Ciubus Imperii, Th. 15.

p) LEHMANN. Chron. Spir. L. II. c. 17.

tamen omnium potestas erat vicaria. Sic Comites prouinciarum iuris dicundi atque pacis conseruandae causa aderant, fisciique Imperatorum curam in demandatis prouinciis gerebant. Palatii Comites iudicio in palatio exercendo praeerant. Marcarum Comites siue Marchiones fines ab excursionibus hostium tuebantur. Hi omnes non secus ac reliqui Imperii Officiales omnia nomine Regum agebant. Cumque omnes sicubi bellum esset gerendum, ut exercitu praeessent, vocarentur, rei militaris vero cura in primis Ducibus demandata esset, horum quidem auctoritatem subterfugere non poterant, neque tamen iis tamquam prouinciarum dominis erant subiecti. Iisdem enim temporibus, quibus Reges ex gente Carolingica ortos sumnum in Germania imperium tenuisse legimus, Comites a solis Imperatoribus constituebantur^{q)} atque iudicabantur^{r)}, secundi ab Imperatoribus ius dicere ciuiibus, et populum regere dicebantur,

C 2

tur,

q) Testatur hoc FORMULA TRUTMANNIANA apud Baluz. T. I. p. 246. Fidem quidem huius diplomatis GRYPHIANDER de Weichbild. Saxon. c. 33. n. 5. impugnauit, quod anno dati diplomaticis DCCLXXXVIII nondum Saxones devicti fuerint. Sed si eos sequimur, qui haud temere generalem fuisse, non singularem aut unius homini, cui nomen fuisse, Trutmanno datam, sed vocabulo Trutmannus idem denotari putant, ac trauter Mann, vel, ut cum filio bodierno loquamur, lieber Getreuer, non est, quod de tempore scriptoris adeo simus solliciti.

r) CAPITVLAR. III. Car. M. de an. DCCCXII c. 2. Ut Episcopi, Abbates, Comites et potentiores quique, si causam inter se habuerint, ad nostram iubeantur venire praesentiam. it. de an. DCCCV. c. 12. CAPITVLAR. Ludouici Pii de an. DCCCXXIII, c. 18. ANNAL. FULDENSES ad an. DCCCXVI. apud Freherum, T. I. p. 34.

tur^s), a sententis eorum immediate ad Imperatores prōvocabatur^t), Comitiis aderant^u). Tanta ergo auctoritate conspicui, tantis elogiis ornati^x), Imperatoribus certe immediate erant subiecti. Ad Liberos Dominos si respicis, siue tamquam Vassos Dominicanos aliosque Officiales regios, modo in aulis Imperatorum, modo in prouinciis, modo in castris eos consideres, siue statum eorum, si, vt Capitularium stilo vtamur, intra casam suam mansere, perlustres, ad proceres principesque referendos esse, et quamquam, vbi vel belli tempestas imminaret, vel deliberandum esset de Imperii salute, Ducum atque Comitum auctoritatem non spernerent, quippe quibus demandata erat militiae cura,

folis

^{s)} SYNOD. CABILONENS. II. sub Carolo M. c. 20. citat. Bignon. ad Formul. Marculf. c. 8. Comites, qui post Imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. CAPITULAR. de an. DCCCXIX. c. 14. Populo dicatur, vt cauteat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi aut Comites eis iusticias facere noluerint. CAPITULAR. de an. DCCCXXIII. c. 6. In parte ministerii nostri vobis commissi in pace scilicet et iustitia facienda vostre exhibeatis, ut nostri veri adiutores iuste dici possitis.

^{t)} CAPITULAR. de an. DCCCXIX. c. 5. Volumus vt Comes potestatem habeat, in placito suo facere, quae deber, nemine contradicente. Et si aliter fecerit quam iuste, ad quem factum illud pertinet, veniat in praesidium nostrum.

^{u)} CAPITULAR. de an. DCCLXXXVII. et an. DCCCXVI. CAPITULAR. Caroli Calui. tit. 24. et 34. DIPLOMA de an. DCCCXII. apud Mabill. de R. D. p. 512. multisque aliis ex locis HINC MARI praesertim probat AVCTOR des Berichts vom Adel in Teutschland.

^{x)} Illefris enim, Illustrissimi, Nobilissimi et Imperatoris propinquoi elogiis insigniuntur in diplomatis apud MABILLON. de R. D. et in multis chartis apud BALVIZUM in Not. ad Capitular. T. II. p. 1259. quod scripserint de se, Comites Dei gratia, inuenient.

solis regibus tamen immediate fuisse subiectos videbis. Quod extra omnem dubitationem positum esse, facile concedent, qui eos, sicut Episcopos, Abbates ac Comites, a nemine nisi a Rege iudicari potuisse ^{y)}, Comitiis publicis interfuisse ^{z)}, atque in vasallos et subditos iurisdictionem proprio iure exercuisse ^{a)} sciunt. Liberos vero homines Comitibus vel ratione officii, quo ius in pagis suis dicebant, vel ut Senioribus, vel ut dominis feudalibus subiectos fuisse, negandi nec animus est, nec causae nostrae ratio postulat. Sat enim id, quod volumus, probatum esse putamus, Ducum scilicet potestatem sub Carolingis plenam atque nullis limitibus circumscriptam non fuisse, nec Comites ipsis aliasque prouinciarum proceres tamquam *Landfassios* paruisse. Paucis his de posterioribus ultimisque Regum ex Caroli M. stirpe ororum temporibus addamus, quibus Ducum Comitumque dignitatem haereditariam fieri cepisse, Germaniaque in quinque Ducatus, Boioicum, Suevicum, Francicum, Lotharingicum et Saxonicum diuisa, Comites, Dynastas, Ciuitates atque Nobiles Ducatibus hisce subiectos fuisse, et inde argumenta pro hodierno territoriorum clausorum *Landfassiatu* haud infirma depromi posse, Iuris Publici quidam doctores opinantur. Sed quaecunque de istorum Ducatum

C 3

alio-

y) CAPITULAR. *Car. M. de an. DCCCXII. c. 2.* vt Episcopi, Abbates, Comites et potentiores quique, si causam inter se habuerint, ad nostram iubeantur venire praesentiam.

z) *Quod egregie probat BALVZIUS in Praefat. ad Capitular. §. 7o conf. CONRING. de Ciubus Imperii §. 32. sqq.*

a) ANT. DOMINIC. de Praerogativ. Alludior. c. 8. §. 6. BALVZIUS in Capitular. T. II. p. 1456.

aliorumque Principatum origine ad hoc tempus referenda statuas, id tamen, de quo nunc agimus, nihil inde firmamenti ac roboris accipiet. Vsu quidem tunc paulatim inualuit, vt filii Ducum ad officia et beneficia patrum prae ceteris admitterentur, dummodo se Regibus iusto tempore commendassent. Quid quod? sub exitum stirpis Caroliniae, collapsa Regum auctoritate, Ducum potestatem eo creuisse, certum est, vt aegre a parentum praefecturis mōueri possent filii et heredes. His tamen non efficitur, quod volunt viri docti, Comites, Dynastas, Ciuitates et Nobiles Ducibus subiectos fuisse. Ut enim omittam, Comitum quoque officia frequenter a patribus haereditate quasi in filios peruenisse ^{b)}, et fracta, quae sub Regibus Merouingicis inualuerat, Ducum potestate, Ducatibus singulis in plures Comitatus diuisis, magna sub Carolo M. incrementa cepisse Comitum auctoritatem ^{c)}, quoniam quaequo vinculo ius succedendi patri in officio, si quod plerumque salutis reipublicae causa factum est, ius adpellare fas sit, ius eligendi Reges, aliaque eiusdem naturae iura cum iuribus territorii, quippe plane diuersis et ab iis longe distantibus coniuncta fuisse, il-

lis

b) *Vade iam in CAPITVLAR. Caroli Calvi Tit. 53. sub fin. c. 3. sanctum.* Si Comes de isto regno obierit, cuius filius nobiscum sit, filius noster cum ceteris fidelibus nostris ordinet de his, qui eidem Comiti plus familiares propinquiores fuerunt, qui cum ministerialibus ipsius Comitatus et cum Episcopo, in cuius Parochia fuerit ipse Comitatus, ipsum Comitatum praeuideant, vsque dum nobis renuntietur, filium illius, qui nobiscum erit, de honoribus illis honoremus.

c) *HERTIVS Notit. Franc. Veter. c. V. §. 21. et de Orig. et Progresti Spec. S. R. I. Rerumpubl. §. 2.*

lis persuadebis, qui in re graui leuibus coniecturis minus contenti, rationes expeditas atque historiae fidem requirunt. Nec benigniori fortuna in exornando isto commento de quinario Ducum Germaniae numero summaque eorum potestate vñi sunt, quibus haec fuere in deliciis. Ingentem afferunt, vt Ducatus illos tunc exortos esse, demonstrent, ex eiusdem aevi scriptoribus locorum vim, quae diligenter collecta inuenies apud PFEFFINGERVM^{d)}, in quibus tamen omnibus tantum abeat, vt praeter Ducis nomen aliquid reperias, e quo Comites reliquosque terrarum proceres et incolas omnes subditos et Landfassios fuisse, elicere possis, vt contrarium potius ex his, quae de Comitum et Dynastiarum sub Carolingis statu diximus, adpareat, et quorum plenioram fidem in sequentibus, contra auctores Archiprincipatum disputandi opportunitatem nacti, faciemus.

CAPVT IV.

QVI EX ARCHIPRINCIPATIBVS, QVOS VOCANT,
AVT PROVINCIARVM MEDIATARVM ANTIQVA FORMA
ARGVMENTA PRO TERRITORIIS CLAVSIS DVCVNt,
MODESTE REFELLVNTVR.

Mittamus itaque haec, ad ista tempora, quibus penes Saxones erat imperii decus, properantes, quorum admodum frequentem in causa, quam agimus, mentionem fieri nemo ignorat. Sunt enim, nec exiguis eorum numerus est, qui vt hypotheses, quas defendendas haud malo confi-

d) *De Bauaria ad Vitriar. L. I. Tit. 16. §. 11. v. 31. T. II. p. 409. de Suevia ibid. v. 25. p. 306. de Francia v. 6. p. 101. de Saxonia v. 5. p. 98. de Lotharingia §. 10. q. de cuius prouinciae Ducatu tamen dubitate vir doctus.*

consilio suscepereant, pro virili tuerentur, aut ut Principium auram captarent, de annalium fide atque auctoritate parum solliciti, haec, ni fallimur, confidenter nimis inculcent: Exstincta Carolingorum stirpe libertatem recuperasse Germanos; Principes postliminio sui iuris factos; Monarchiam pristini regni mutatam esse in Aristocratiā; proceres liber-rima electione Regibus imperium detulisse, sed valde arctum et adstrictum; placuisse singulis prouinciis haereditarium principatum, sed clientelae nexus obligatum regno; hinc tot in Germania res publicas et principatus exortas, quot fuerint populi et prouinciae; illos principatus Germaniac singulares vetustiores esse ipso regno; Principes ab illo aeuo Regalia habere, iura territorii et reliqua. Haec sunt ea, propter quae, quibus haec placent, in componendis de superioritate et subiectione hodiernis litibus ad hoc aevum ascendere, et omne Iuris Publici fundamentum inde repetere legum patriarcharum doctores et defensores iubent. Enim uero non est, cur diu immoremur peregrinis hisce opinionibus a TOBIA PAVRMEISTERO^e) primum inuentis, post a LEIBNITIO^f) et PVFFENDORFIO^g) sub fictis Furstenerii et Monzambani nominibus fatis ingeniose, quod nemo forte inficias ibit, defensis, a KVLPISIO^h) tamen,

HER-

e) *de Iurisdict. Imp. Rom. Lib. II.*f) CAESARINVS FVRSTENERIVS *de Iure Suprematus ac Legationis Principum Germaniae.*g) SEVERINI DE MONZAMBANO *de statu Imp. Germ. ad Lætium fratrem Dominum Trezolani Lib. unus.*h) *in Comment. Academ. in Seu. de Monzambano de statu Imp. Germ. librum.*

IN CLAVSA ET NON CLAVSA.

23

HERTIOⁱ⁾, GVNDLINGIO^{l)}, THOMASIO^{m)} aliisqueⁿ⁾, quicquid VERPOORTENIVS^{o)} obiiciat, satis iam refutatis. Imo fac, vera esse, quae viri laudati magna contentione tueruntur. Rem tamen nostram non tangunt. Frustra enim ex iure eligendi Reges, si vel maxime liberrimum, et Ducibus istis, haereditario iure principatus tenentibus, proprium atque solenne fuisse, quod secus tamen fuisse, ex sequentibus adparebit, argumentum ducitur, quo caeteros, qui ad electionem Regis non admissi sunt, subiectos Ducibus fuisse probes. Nec haereditarius Ducatum atque Comitatuum principatus, quod iam monuimus, certa *Landfassius* indicia et argumenta praebet. Salua denique atque integra re nostra concedere possemus, Saxoniorum Imperatorum aetate Duces Principesque superioritate territoriali esse potitos, et proprio iure regalia, quae dicunt, iura exercuisse. Sunt enim haec diuersissima, nec vlla necessitatis lege in vnum coeunt: totam prouinciam regere, iurare, quae vocantur regalia, in subditos exercere; et vniuersos et singulos intra eosdem fines habitantes dominationi suaee

i) in D. de feudis oblatis in Opus. Vol. I. T. II.

l) in libello singulari de Henrico Auctupe.

m) in Select. feudal. et D. de usu Libr. vet. de Benefic. §. 19. vbi suam ipsius dissertationem de feudis oblatis corrigit.

n) SCHOCKIO, PRASCHIO, TEVTEBURGIO, SCHARSCHMID, OLDENBURGERO sub nomine Pacifici a Lapide, ITTERO et OBRECHTO, quos vero omnes longe antecedit KVLPISTIVS. Multa tamen eaque non contempnda contra eum monuerunt TITIVS et THOMASIVS in notis ad Monzambanum.

o) de Ducatibus in Vet. Germ. Regn. haereditariis.

D



26 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

suae atque potestati subiectos habere. Quod si haec tam arcto et indissolubili inter se coniuncta essent vinculo, ut, posito altero, alterum poni necesse esset, quid? nisi hoc inde sequeretur, ut omnium, qui iure exercendi regalia polent, Principum territoria non alia essent, nisi clausa. Quod quam parum cum hodierna Imperii forma, veroque territoriorum clausorum conceptu conueniat, quis quaeso non videt? Sed nouam ex his et MONZAMBANI praesertim conjecturis conflauit doctrinam de Archiprincipibus Germaniae III. L V D E W I G^p), eamque, collectis vndique summo studio speciosis saepe numero argumentis, ita instruxit, ut neque diligentiam neque ingenium viri egregie docti desideres. Nobis quidem totam eius hypothesis, quamquam singula quodammodo inter se cohaereant, excutere, vel in eius Archiprincipes, qui fuerint, vnde sint orti, et qua via ad tam insignem potentiam peruerenterint, inquirere, haud vacat. In ea tantum, quae pro pleno *Landschaftu* istorum principatum in medium attulit, intendamus animum. Opinatur scilicet vir illustris, siue personatus ille G I O V A N N I^q), sub Imperatoribus, qui, extincta Carolingorum familia, rebus Germanorum praefuerunt, septem Archiprincipes immediatos Imperii status, nec alias praeter hos fuisse; horum imperio omnes Principes, Archiepiscopos aliquosque rerum sacrarum Antistites paruisse; hinc vero enatam esse formulam

lam

p) in D. Henricus Auceps, *historia anceps*; *Commentar. ad A. B.* nec non in D. de Ciuitat. *dispari* nexus cum S. R. I et in primis in libello, *Germany Princeps, inscripto*.

q) in Germ. Principe L. IV. n. 8. sub k.

Iam illam siue legem, *vt omnia, quae sint in territorio, sint quoque de territorio.* Non lubet iam historiae monumenta atque scriptorum verba illi opponere, qui nimium coniecerunt tribuit. Rationibus vtrum res confici possit, experiamur. Age itaque, videamus, fierine potuerit, quod absque idoneo teste euenissemus sumitur, *vt isti, quos vocant, Archiprincipes tantam potestatem atque dominatum occupauerint?* Si ais, dic quaeſo, a quonam acceperint? A ceteris Principibus? Eſtne vero credibile, hos libertatis studiosissimos lubenter alienae potestati ſe subieciffere, atque iura illa eximia, quae ſub Imperatoribus Carolingicis habuiffe eos, planum fecimus, ſponte et nemine cogente, dimiſiſſe? An ab Imperatoribus? Neque hi tam faciles erant, neque tam parum auctoritatis ſuae amantes, *vt regni proceribus tantum dominatum concedendo, ſuam ipſi imminuerent potestatem.* Sibi igitur eminens illud dominationis decus sumferunt Archiprincipes? Sed denuo recurret, quod antea diximus, quod qui perpendet, nec Imperatores nec Principes hoc paſſos fuiffe, facile concedet. Igitur numquam per ſeculi istius rationem fieri potuit, *vt eſſent isti Archiprincipes.* Adde, quod nec in Capitularibus nec scriptoribus eiusdem aetatis legitur, Imperatores septem tantum Archiprincipibus universam commendaffe Germaniam, et quidem ea lege, *vt ſinguli terris ipsorum potestati ſubiectis, omnibusque illarum prouinciarum primatibus ſumma praeceffent auctoritate.* Quin potius Imperatores etiam poſt Carolingorum familiam omnibus in id incubuiffe viribus, certum eſt, *vt non tam nouum accepiffe regnum, quam vetus Francorum regnum.*

D 2

con-

28 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

continuare viderentur^r). Vlto quidem fatemur, Principes, quos eius aevi scriptores commemorant^s), et quorum iam supra iniecta est mentio, Boioaricum, Francicum, Sueicum, Lotharingicum et Saxonum, praesertim in rebus, ad militiam spectantibus^t), inter ceteros eminuisse auctoritate et potentia, sed parum concinne argumentaretur, qui eam ob causam Ducum horum arbitrio et dominatui subiiceret cuncta, ipsisque ius territoriale supremum attribueret. Si enim, quod supra iam de commento illo de quinque Ducatis montuimus, hodiernae Germaniae status cum pristina sub Imperatoribus Saxonis forma esset componendus, atque regulae, quam tunc inualuisse contendit GIOVANNI: nihil esse in territorio Archiprincipis, quod non esset de territorio eiusdem, nostris quoque temporibus vis aliqua esset atque auctoritas; Sueiam, Franciam, terram Rhenensem, quas vna voce territoria non clausa vocant viri docti, clausa existimes, necesse foret. Deinde clarum est atque manifestum, Comites, Dynastas, Episcopos aliosque Principes et hac aetate iisdem iuribus, quae prioribus seculis iis concessa fuisse probauimus, gauisfos esse. Denique Principes eadem libertate vsos, et non nisi Imperatori imme-

^r) ADELBOOLDVS in vit. Henr. Sanct. §. 1. apud Leibn. T. I. Rer. Bruns. p. 431. OTTO FRISING. L. VI. Chron. c. 77. Capitularia Francorum ad hanc usque Saxonum aetatem summa valuisse auctoritate, testatur Ottonis M. Decretum apud CONRINGIVM de Orig. Iur. Germ. c. 18. p. 101.

^s) LVITHPRANDVS L. II. c. 7. atque, quos supra laudauimus.

^t) Ipsum Hermannum Bilingum Saxonie Ducem Principem militiae vocat WITECHINDVS L. II. Annal. p. 17. Placuit igitur novo Regi nouum Principem militiae constituere.

immediate subiectos in Archiprincipatibus Francia et terra Rhenensi, Suevia, Bauaria, Saxonia, Thuringia et Lotharingia fuisse constat. Quae duo posteriora cum prolixiori discussione opus habere videantur, accuratis iam in ea inquiramus, et ut breuiter agamus, et, quae diximus, vna probemus, exempla ex ipsis, quos fuisse censet GIOVANNI, Archiprincipatibus petamus. Principes Ducatum pariter ac Duces in Comitiis adparebant,^{u)} quando de rebus Imperii aut salute reipublicae agebatur, suffragia ferabant,^{x)} Reges cum ceteris Imperii Principibus elegabant,^{y)} coronationis officio vna cum illis aderant,^{z)} ho-

D. 3

nores

u) REGINON. *Supplm. ad an. CMXLIV* Rex apud Duisburgen in rogationibus placitum cum primoribus Lothariensem et Francorum habuit. DITMARVS L. IV. apud Leibn. p. 348. nec raro alibi.

x) DITMARVS L. IV. p. 358. Gislerus Archiepiscopus Magdeburgensis cum Coepiscopis, Bernhardus Dux, Lotharius et Ekkihardus cum optimatibus regni de statu reipublicae tractantes. IDEM L. V. p. 358. Optimum duxit, ut occidentales viendo regiones Hermannum Ducem cum ceteris Optimatibus (*Sueviae*) de reipublicae suique commoditate alloqueretur. IDEM L. V. p. 368. Bernhardus Dux (*Saxoniae*) cum consensu omnium astante coram Rege voluntatem plebis omniumque necessitatem exponens.

y) DITMARVS L. IV. p. 358. Comes Luthorius - Archiepiscopum praedictum meliorem Procerum partem in secretum foras vocauit colloquium, hoc omnibus dans consilium, ut iuramento firmarent, se nullum sibi dominum vel Regem - elecuros ante constitutum in Werle colloquium. IDEM L. V. p. 368. Rex a Comite et a primis illius regionis (*Thuringiae*) collaudantur in dominum. Multisque aliis locis.

z) ADELBOLDVS in *Vit. Henr. Sandt.* §. II. apud Leibn. p. 433. v. not. seq. sub. b.

nores et beneficia ab ipsis Imperatoribus accipiebant, ^{a)} non Ducibus, sed Regibus fidei sacramento se obligabant, ^{b)} a solis Imperatoribus iudicabantur, ^{c)} suisque summa praeerant auctoritate. Nec hoc *Principum* nomine Duces, Episcopos, Marchiones vel Comites tantum complectimur, sed scriptorum verba, quae adduximus, de Baronibus etiam intellecta volumus. Constat enim, scriptores eius aeui Primatum et Baronum nominibus promiscue vti, et sine discrimin'e omnes ex ordine Nobilium illis indicare, qui nullo officio publico Imperii fungebantur. ^{d)} Singulatim vero atque satis dilucide testantur loca bene multa, et horum haud contemnendam

in

a) DITMARVS L. IV. p. 358. Ad Fraseni curtem regiam, quam tunc Guncelinus Comes ex parte Imperatorum in beneficium tenuit, conueniunt. IDEM L. VII. p. 407. Wilhelmus Comes est miles regis in nomine, et dominus terrae in re. IDEM L. V. p. 369. Accepto a Rege quodam Comitatu praefati Ducis (*Sacuiae*).

b) DITMARVS L. IV. p. 348. Eos (*optimates Franciae*) a promissa Regi suo cum sacramentis fide numquam recessuros, vnamini eorum responsione perspiciens (*Conradus Dux*) ADELBOLDVS. c. 1. Benno Dux Saxonum, Bilizlaus Dux Slavorum, Lielzo Archiepiscopus Bremensis, Benno Episcopus Hildenensis, Ratherius Episcopus Paderbornensis, Arnulphus Halberstetensis, ceteri Episcopi de Saxonia et Comites plurimi Regi occurunt, - collaudato manus singuli per ordinem reddit, redditis manibus fidem suam per sacramenta promittunt, fide promissa, Regem coronant, coronatum in folio locant, locatum debita congratulatione venerantur.

c) Exempla ad sunt Adelberti apud REGINONEM ad an CMV. p. 436. Wigmanni apud WITICHINDVM L. III. p. 35. Eckberti apud DITMARVM L. III. p. 343. Geronis ibidem, alibique sexcenta.

d) OTTO FRISINGENSIS L. VI. Chron. c. 20.

in rebus Imperii publicis fuisse auctoritatem,^{e)} atque unus Imperatoris iussi eos obtemperasse,^{f)} quod pluribus persequeremur, nisi verendum nobis esset, ne cumulando argumenta in re certa, totque incorruptis rerum gestarum documentis probata, lectoris taedium excitemus. Nec multis de Episcoporum atque Ciuitatum conditione differere, opus est. Plerisque enim, quae pro Comitum libertate adduximus, scriptorum testimonii Episcoporum quoque libertas munita est. Praeterea cum Comites et Barones non subditi essent Ducibus, haud sane deteriori conditione Archiepiscopi et sacri Antistites fuisse videntur. Nam cum hi a Caesaribus ac in primis ab Ottone I. tantis opibus fuisse instructi, ut sensim seculare imperium in terris Ecclesiarum ad se traherent, magnamque in rebus publicis gerendis nanciscerentur auctoritatem, quis Principibus secularibus illos aetate ea paruisse, sibi persuaserit? Haud negamus quidem, antequam Episcopi ad tantam potestatem peruerterint, secularibus Principibus administrationem Ecclesiae, etiam post aevum Carolingicum,^{g)} demandatam fuisse, sed hoc ius, quod *Aduocatiae* vocatur, supremam quandam potestatem nunquam tribuit, quod pluribus demonstrare, haud huius loci est. Quod demum ad Ciuitates attinet, nullam quidem olim Comitibus paruisse, sed singulas Ducibus aut soli Caesari, neglecta minoris magistratus auctoritate,

e) AVCTOR *Vitae Meinwerc.* §. 4. apud Leibn. p. 518. IDEM §. 42.
p. 543.

f) IDEM §. 72. p. 551. cf. GVNDLING in *Henr. Aucupe* §. 14. lit. H.
g) LEHMANN Chron. Spir. L. II. c. 36.

tate, morem geffisse, arbitratur C E L. L V D W I G. ^{h)}) Sed praeter scriptorum fidem et haec traduntur. D I T M A R V S ⁱ⁾ enim aliquie, qui eius aetatis historiam memoriae mandarunt, dilucide testantur, iam tum Comites vrbes non solum tamquam beneficia, sed et iure allodiorum possedisse. En! quam infirmis vniuersa cel. L V D W I G I I acutissimi alioquin Iure-Consulti hypothesis constituta sit fundamentis, cuius vel hoc vnum omnem facile labefactaret fidem, Imperatorem Ottонем M. istos fere omnes, quos Archiprincipes salutare placuit Viro Illustri, Lotharingiae, Sueviae, Boioariae et Franconiae Duces, cum haud raro nouas res moliri deprehenderentur, alium capitis suppicio, alium exilio, alias alio modo multasse, nec mitius successores eius cum illis egisse, aut in compescendis illis fuisse remissiores, adeo, vt Germania ad Henricum vsque VI. numquam laetius effluerit. Iam pauca addamus de iis, qui in doctrina de prouinciis mediatis et immediatis ^{j)} omne territoriorum clau-

forum

h) in D. de dispari Nexus Ciuitat. Imper. c. 5. §. 4.

i) L. VI. p. 380 de Henrico Sando: Comitatum super Merseburg et beneficium ad hunc pertinens Burchardo et super quatuor vrbes iuxta Muldam flauium positis Thiedberno beneficium concessit. IDEM L. IV. p. 348, hostilis immanitas vrbem Comitis Eckberti, quae Ala dicitur, possedit. IDEM L. VII. p. 412. Fridericus Comes -- obit in Ciuitate sua Ilburg dicta, -- praedictam Ciuitatem fratri suimet filio nomine Thiederico dedit.

j) Præcipuus eius auctor est ill. COCCEIUS in Iur. Publ. Prudentia c. IX. eamque cum nonnihil favoris in deducenda Nobilitatis Immediatae originis afferat, BVRGERMEISTERVS in Graffen und Rittersaal Part. I. Sect. 4. ambabus arripit manibus. Nec STRIVIVS in Synt. Iur. Publ. c. V. vbi tamen nostram distinctionem reicit, atque omnium maxime ridet, hanc aspernatus est.

sorum et non clausorum fundamentum positum esse volunt. Pressit hoc argumentum in primis et contra TITIVM^{m)} defendit magni nominis Iure Consultus WERNHERVS.ⁿ⁾ Maxime vero praestantissimus Dissertationum Pucholtzianarum censor^{o)} quamuis rem dubio non carere, si specialius, quae terrae mediatae sint, quae immediatae, expondere velis, concedat, demonstrationis tamen initium inde capit. Sed ita, quod pace summi viri admonemus, in his versari nobis videtur, ut, quomodo ea cum reliquis cohaerant, intelligi plane nequeat. Ipse enim diuersam cum Francorum regno Germanicarum prouinciarum connexi rationem pro diuerso temporum rerumque statu saepius mutatam esse fatetur, adeo, ut terra, quae immediata fuerit, mox mediata facta sit, idque exemplis Bauariae, terrarum Vandalicarum et Moraicarum, Sueviaeque illustrat. Ne vero, quae pluribus iam contra illam distinctionem terrarum Germaniae in mediatas et immediatas a viris eruditis disputata sunt,^{p)} repetamus, in hoc uno grauissimo Cocceiani illius inuenti autore subsistimus, atque ex concessis, iisque, quae in prioribus multis egimus, argumentamur, ad probandum territorii clausi ius haec nihil facere posse. Afferit quidem III. WERNHERVS contra TIVM:

m) in Specim. Iur. Publ. L. I. c. 3. §. 25.

n) in D. de probatione Landfassatus ex situ terrarum §. 8. seq.

o) Cap. VII. §. 5. p. 69.

p) KEYSER D. de aequali statuum Imperii origine et progressu HELFFERICH Comment. de fiducia distinctione terrarum Germ. in mediatas et immediatas.

T I V M: quando Francorum Reges terris mediatis quandoque praefectos dederint, non statim Ducatum eueruisse, sed tamquam Duces, in quorum locum successerint, id secissè intelligi, ut hinc Ciuitates, item Comites, Barones atque Nobiles in provinciis constituti nihil feciū manserint mediati; rursus quando terrae immediate Duces et propriam cum illis potestatem acceperint, Marchiones tamen, Comites aliosque, in rebus officii sui non Duci, sed Regi paruisse, ut in terris mediatis, et immediate ad Regem prouocasse. Verum enim vero, quae probanda incumbebant viro docto: Ciuitates item Comites, Barones atque Nobiles in prouinciis constitutos fuisse mediatos; Duces propriam habuisse potestatem; Marchiones, Comites aliosque in terris mediatis ratione officii Ducibus paruisse; et ab eorum sententiis ad Duces prouocatum esse, pro certis assumit, ideoque in re, quae iura Principum et priuilegia respicit, contentiones de superioritate et subiectione non ex documentis et actis publicis, sed conjecturis, iisque admodum leuibus, componere nullus dubitat. Deinde inconstanter disputasse videtur Vir Illustris, vbi dicit, Praefectos a Regibus in terris mediatis constitutos, eueris Ducibus, superioritatem territorii continuasse sic, ut quilibet in ditione sua in locum veluti ducis successerit, adeoque prouincia mediata manerit. Omnia enim Praefectorum vicaria, non propria et haereditaria erat potestas. Non negamus quidem, plenum territorii ius in his prouinciis ad Reges non rediisse, sed Ciuitates, Comites, Barones atque Nobiles maiori, quam olim, polluisse potestate; quanam vero quaeso ratione colligi inde potest, mediatos eos mansisse.

III



Illi potius minus a vero aberrare videntur, qui immediatam tunc factam esse prouinciam dicunt. Luculentissimum huius rei exemplum Saxonici Ducatus praebet historia. Tanta sub Henricis Superbo et Leone, ceperat incrementa Ducum potestas, vt ii omnes fere Saxonie Nobiles subiectos sibi habuisse videantur. Sed proscripto Leone, noua in terris, quas administrauerat, prodiit rerum facies. Plerique Principes, Comites, Dynastae ac Ciuitates, simulac visa est occasio, pristinam libertatem recuperarunt. Vnusquisque *tyranno*-*co more in suo loco regnasse* dicitur ⁴⁾). Quod vero singularum terrarum domini, exemplum pristini Ducis imitati, potestatem territorii veluti continuant, id quidem efficit, vt, imminutam esse Regum auctoritatem, concedamus, sed prouinciam mediatam, vt olim, sub Henricis, Nobilesque *Landassios* fuisse, non probat. Magnum denique momentum in eo positum esse putamus, quod pro *Landassatu*, qui hodie in territoriis clausis viget, nullum ex iis temporibus peti possit argumentum, quibus Imperatores domania in omnibus prouinciis, mediatis etiam, haberunt; prout de Saxonia ⁵⁾), Bauaria ⁶⁾), Suevia ⁷⁾),

E 2

Lotha-

q) ARNOLDVS LVBECENSIS L. III. c. 1.

r) Hinc in diplomatis Henrici Aucupis atque Ottomum Imperatorum, saepe occurrit formula: Quidquid vero fiscus sperare poterit, totum nos pro aeterna remuneratione praediæ Ecclesiae perpetualiter concedimus.

s) HVNDIVS in Metropol. Salisburg. magnam diplomatum vim affert, quibus probari potest, multa in Bauaria Saxoniorum Imperatorum aeuo ad fiscum pertinuisse.

t) Henricum Aucupem partem Sueviae Rudolpho Burgundo pro lancea tradidisse, et Ottones multis bonis Alemanniae coenobia ditasse constat.

Lotharingia^{u)} aliisque certissima scriptorum exstant testimonia.

CAPVT V.

QVA VIA PROBATVRO, TERRITORIVM ALIQVOD
IMPERII CLAVSVM ESSE VEL NON CLAVSVM, INGE-
DENDVM SIT, BREVIBVS INDICATVR.

Inter illos, qui in definienda *Landaffiatuſ* origine elabοrariunt, contra quos haſtenus diſputauimus, ſunt fere praecipui. Nec eorum quidem pauci inueniuntur, qui ſequentium ſeculorum certum tempus ſtataut, quo Comitum, Dynaſtarum, Nobilium, inferiorumque Ordinum libertate oppreſſa, ſumman potefatam ad Duces ceterosque Principes transiſſe, et ſuperioritatem territorialem ac *Landaffiatuſ* per vniuersam Germaniam eſſe introducta, arbitrentur. Atque hi etiam multis modis diſcrepan, aliis ad Ottonum aeuum, aliis ad Henrici IV. tempora, aliis ad regnum Friderici III, aliis ad aliud tempus ingentem iſtam rerum commutationem atque conuertas reipublicae formam referentibus. Contra quos vero cum pluribus diſputauerint H. MEIBOMIVS^{x)}, BOECLERV^{y)}, KVLPISIVS^{z)}, HERTIVS^{a)} et recentiorum non pauci, nobis

u) *Quod pluribus probarunt CHRISTOPH. BROWERVS Annal. Treuirenſ. MART. MEVRISSE Histoire des Eveques de Mets.*

x) *in Not. ad L. II. Annal. Witich.*

y) *de Rebus Saeculor. IX. et X. in Henr. Auc.*

z) *de Legat. Stat. Imp. Cap. 7. §. 16.*

a) *de feudis oblatis P. I. §. 15. et de orig. et progreſſu ſpec. R. G. I. Rerumpubl. §. 7.*

nobis haec praeterisse, non erit fraudi, in primis cum rerum nostrarum ratio iam non ferat, tot annorum seriem percurrere, totque et tantas rerum vicissitudines ea, qua par erat, cura perlustrare. Id quidem non inficiamur, argumenta virorum doctorum ex iis temporibus petita, quibus Principum potestas iam magna ceperat incrementa, veritatis aliquam speciem habere, immo firmiori fundamento niti, quam illorum opiniones, qui in incertis istis Imperii Romano-Germanici initiis iisque proximiori aeuo, *Landaffatus* et territoriorum clausorum origines reperiisse sibi videntur. Sed et in his omnino deprehendi, quod iure reprehendatur, ex illis, quae adhuc dicentur, manifestum erit. Nobis vero metuenda prae ceteris videbantur celebres istae, quas supra attulimus, coniecturae, cum quod a grauissimis causae nostrae patronis essent in auxilium vocatae, et acri studio defensae, tum quod Ducatus isti, Archiprincipatus, et Prouinciae mediatae, nescio quam similitudinem speciemque territoriorum clausorum prae se ferant, ut primo adspectu horum imaginem in illis cernere tibi videaris. Ut vero, quid nobis in hac verum esse adpareat, tandem exponamus, nobis tutissima illi incedere via videntur, qui ausi, certos iuris territorii per vniuersam Germaniam introduci natales constituere non ausi, idoneis rationibus probarunt, illam status in Imperio commutationem, qua Ducum Comitumue, officiorum primo ac magistratum nomina, in eius, quam proprio iure usurparent, potestatis et haereditariae possessionis titulos abierint, et, infirmioribus prouinciarum Ordinibus a potentioribus oppref-

E 3 sis,



sis, summa imperii in singulis prouinciis ad Duces translatu fuerit, non continuo et vno statim impetu, atque ubique eodem tempore, sed sensim pedetentimque per temporum interualla et spiramenta alibi citius, alibi tardius contigisse, adeoque viros doctos, quicquid operaे certo in hac re definiendo temporis momento impenderint, irrito conatu perdidisse. Cogita quaelo, quodcunque velis, Germaniae nostrae aeuum, et reipublicae formam cum ea, quae proxime antecedenti aeuo obtinuerat, compone, mutatam inuenies, mutari vix senties. Non enim subito semper et vno temporis momento magnae fiunt rerum commutaciones. Aequa multas, imo plures sensim atque pedetentim, quam repente obtigisse repieres. Haud alia ratione Regum, qui Germaniae imperitabant, potestatem non vno iectu concidisse, sed sensim imminutam, Principum vero opes crebris molinibus, et tacitis quasi incrementis auctas esse vides. Opulentissimi enim quique Principes cum turbulentissimis illis in primis Germaniae temporibus, quibus acerrima Imperii et Sacerdotii contentio sub Henricis IV. et V. regnum misere dilacerabat, aliam ex alia licentiam usurparent, fractis Regum viribus, faciliori negotio infirmiores prouinciarum Statutus sibi subiictere, iura territorialia sibi adrogare, et celeriter ad summum imperii fastigium peruenire poterant. Lvculentum huius rei exemplum historia gentis Welphicae praebet, quae certe in hac re ceteris quasi monstrauit viam. Welphus primus ex hac familia Dux, obtento ab Henrico IV. Ducatu Bauariae ^{b)}, coque nonnullis Comitum patrimonis

b) LAMBERTVS ASCHAFFENB. ad an. MLXXI.

moniiis aucto^c), contra Imperatorem arma capere non dubitabat^d). Quod cum haud prospere procederet, rediit cum Rege in gratiam, atque Ducatum, quem Caesar res novas molienti eripuerat, recepit^e). Patris vestigia non acriter solum pressit, sed et in accepta ab ipso haereditate augenda longe feliciori successu vias est Welphus II. ob matrimonium cum Mathilde initum viribus multum valens^f). Is quam infenso animo Henrico Regi restiterit, inter omnes constat^g). Cuius filius Henricus Niger, Wulfildi filiae Magni Ducis Saxoniae stirpis Billingiae ultimi matrimonio iunctus^h), cum et ipse summo studio promouendae dominationi et iuri haereditario Ducatus obtinendo intentus, mirum in modum familiae opes auctoritatemque auxisset, hanc tantam potentiam naectus Henricus Superbus, Bauariae et Saxoniae Duxⁱ), fauore socii Lotharii Imperatoris fratus, possessiones Nobilium occupando et iura eorum opprimendo^j), tantis potentiam suam accessionibus auxit, ut mirum nemini videri debeat, filium et haeredem eius Henricum Leonem Regum auctoritatem parum curasse,

atque

c) MONACH. WEINGARTENS. de Guelf. Prince. §. 8. apud Leibn. T. I. Rer. Brunsv. p. 784.

d) BERTOLDVS CONSTANTIENSIS Append. ad Hermannum Contractum ad an. MLXXIII. et MLXXXVI.

e) CHRONOGRAPHVS SAXO ad an. MLXXXVII.

f) BERTOLDVS CONSTANTIENSIS ad an. MLXXXIX. conf. LEIBNITIVM in Introduct. in T. I. Rer. Brunsv. p. 3.

g) BERTOLDVS CONSTANTIENSIS ad an. MLXXX. seqq.

h) FRAGMENTVM Chron. Brandenburg. apud Leibn. T. II. p. 18.

i) CONR. VRSBERGENSIS ad an. MCXVII.

j) MONACH. WEINGARTENS. c. I. §. 12. p. 786. ABBAS VRSBERGENS. in Vita Lotharii p. 21.

atque Bauariae et Saxoniae principibus vi subiectis, quasi suo iure vniuersis Ducatibus imperatis^m). Proscripto quidem Henrico Leone a Friderico Barbarossa *ex instanti Principum querimonia et Nobilium plurimorumⁿ*), noua rerum in terris, quas administrauerat, prodierat facies; plena tamen territorii potestas ad Regem non redit, sed ut denuo verbis ARNOLDI^o) utar, *tyrannico more unusquisque regnabat in suo loco*. Ex his patet, Bauariae et Saxoniae Duces imprimis Henricos, plerosque Nobiles iam iis temporibus subiectos sibi fere habuisse, quibus aliarum prouinciarum statutus, quarum Duces viribus et potentia non tantum valebant, pristina libertate gaudebant. Ipsa Francia et Suevia documento nobis esse possunt, quas Imperatores e gente Hohenstauffia orti tenebant. Quamuis enim hi, ut opes suas atque potestatem amplificarent, omnem darent operam^p), bellis tamen ciuilibus et negotiis Imperii distraeti, et, diuisis inter plures filios foecundae gentis opibus, infirmiores facti^q), se sine Principum et Nobilium amore atque auxilio neque saluos esse, neque imperii maiestatem tueri posse, facile intelligebant. Hos igitur dum benevolentia conciliare sibi studerent^r), fieri non poterat, ut de

intro-

m) HELMOLDVS L. II. Chron. Slavor. c. 6. n. 6.

n) DIPLOMA Friderici I quo Archiepiscopo Coloniensi Ducatum Westphaliae et Angariae contulit, apud SCHATEN. in Annal. Paderborn. L. IX. ad an. MCLXXX. et Feltz in D. de Elektor. Colon. p. 38.

o) ARNOLD. LVBECK. L. III. c. 1.

p) OTTO de s. BLASIO c. 21, apud Vrftifum T. I. Rer. Germ. p. 207.

q) IDEM cit. loco.

r) GODEFRID. MONACH. ad an. MCLXXXVIII. apud Preber. T. I. Rer. Germ. p. 363.

introducendo *Landaffiatu* cogitarent. Quod cum vicissim
haud fugeret Sueiae et Franciae Principes, hi opibus suis
confisi, nulliusque, quam inferri sibi opinabantur, iniuriae
patientes, quicquid auctoritati suae atque libertati infestum
videri poterat, quibusmodis, et vi et armis repellere
non dubitabant⁵⁾). Igitur libertatem suam feliciter conser-
varunt. Itaque verum maneat atque probatum, mirifice
eos falli, qui omnino certum aliquod tempus definiunt, quo
per vniuerlam Germaniam ius territorii ad Principes perue-
nerit, sed in singularum provinciarum historiam accurate
inquirendum est, ut intelligatur, quodnam sit illud tem-
pus, ex quo in contentionebus de superioritate et subiectio-
ne, quae omnem rem conficit, praefumtio illa vel liberta-
tis, vel subiectonis repetenda fit. In quo negotio pera-
gendo primum id e re esse putamus, ut fines, quibus in-
clusum sit territorium, olimque inclusum fuerit, accurate,
quantum rei fert natura, describantur, quibusque regioni-
bus praefuerit Dux vel Marchio, vel Landgrauius, ostenda-
tur. Valde enim lapsos esse videmus, qui Thuringiae
Landgrauiatum Saxoniae vel Misniae commiscent, quae ta-
men ab antiquissimis temporibus fuerunt prouinciae iuribus
limitibusque separatae, adeo ut superioritas territorii in ter-
ras Saxonicas introducta, et quaecunque harum mutatio ni-
hil certe praesidii praebeat in probanda summa potestate
Principum, qui Thuringiam, quippe suis finibus inclusam
nec sub Saxoniae Ducatu comprehensam, tenuerunt. Cu-
ius-

5) ABBAS VRSBERGENS, *in Vita Philippi Sueui p. 234.*

iusuis enim aeti scriptores, siue ad Carolingorum, siue ad Saxonum regnum respicias, siue quae recentioribus temporibus de Thuringia traduntur, legas, sollicite et caute Thuringiam a Saxonia separare ^{t)}, inuenies, atque ex omni historia manifeſte deprehenditur, Regis potestatem ampliorem fuisse et diuturniorem in Thuringicis, quam in Saxoniceſ terris, adeo, vt haereditaria iam eſſet Ducum in his dignitas, cum iſtarum Principes, patrum dominatione nondum in filios iure haereditario tranſeunte, auctoritate his longe eſſent inferiores ^{u)}. In eodem errore versari eos deprehendimus, qui ditiones Marchionum Brandenburgicorum in Franconia territoriis clauſis annumerandas eſſe, ſpre-
tis omnibus aliis rationibus, eo probare conantur, quod Marchiae Brandenburgicae eſſent commixtae. Deinde illius maxime temporis rationem habendam fuasperim, quo haereditaria facta fit prouinciarum poffeffio. In ipſo quidem probando iure territorii parum hoc te iuuabit, fi Principem haereditatis iure prouinciam tenuiſſe oſtenderis, cum nullo vinculo, vt iam ſupra monuimus, ius patri in munere vel provinciae administratione ſuccedendi cum ſumma in ciues po-
tentia fit coniunctum. Ideo tamen in tempus illud, quo officium Principis in haereditariam poffeffionem abiit, inquirendum, quod ante illud omnis prouinciae formula in-
confiſtas

^{t)} PFEFFINGER ad Vitriar. L. I. Tit. 16. §. 11. v. 13. in Catalogo
Ducum Thuringiae.

^{u)} AVCTOR. Histor. Landgrau. Thur. c. II. p. 913. DODECHIN. in
App. ad Mar. Scot. ad an. MXXX. ALBERTVS STADENSIS ad
an. MCXLIV. SVFRIDVS PRESBYTER Epit. L. I. ad an.
MCXL. p. 692. Edit. Freber.

constans et dispar est, ut egregie ex Saxonici Ducatus historia patet. Magna quondam erat Henricorum, Superbi et Leonis, Saxoniae Ducum, vt ipsis Imperatoribus metum incuteret, auctoritas. Hoc tamen proscripto, in partes dissecta, et quae immediata ante fuerat, in mediatam fere abiit prouincia. Hoc vero agenti multum proderit, in causas originis et progressus specialium Romano-Germanici Imperii rerumpublicarum animum intendere, quas **H E R T I V S**, vir omnis historiae peritisimus et de Iuris Publici scientia longe meritissimus, egregie explicauit, atque accurate disquirere, qua via atque ratione Principes sensim sensimque ad tantum fastigium peruererint, quibus artibus opes suas auferint, quas regiones vi sibi subiecerint, quas haereditate, donationibus, vel aliis conuentionibus acquisuerint, quibus modis, Imperatoribus resistendo, imperio eorum se subtraxerint, Domania eripuerint, sibique iura, quae vocantur, regalia adrogarint. Neque tamen de singulis superioritatis territorialis iuribus videndum est, quod multum haberet difficultatis, resque immensi fere esset laboris, sed ad ius fisci in primis, ad ius Comitia prouincialia conuocandi, de causis Nobilium cognoscendi, bella suo nomine gerendi, aliaque, ex quibus praecipue ius territorii et subiectio elicetur, iura respiciendum esse arbitramur. Quare si quis probauerit, Reges domania, palatia, iura albergariae, hospitariae, aperturae redditusque in prouincia certis finibus inclusa non habuisse, iudicia immediata in ea non exercuisse, nec Aduocatos prouinciales et vrbicos constituisse; si actis publicis atque historiae documentis docuerit, Imperatores iura feuda-

feudaque Imperii, inuestituris expectatiuis vel aliis priuilegiis in Principes prouinciae transtulisse, vel superioritatem territorialem munificentiae Caesareae, defensionis fideliter sibi turbulento rerum statu praestitae, pactionum et denique inueteratae possessionis titulis iustissimis innixam ac munitam confirmasse; si denique litteras reuersales attulerit, quibus opulentiores prouinciarum Ordines Principem pro vero suo domino agnouerunt, seque ei subiecerunt, tunc demum certissime constabit id, quo territorium aliquod clausum esse cognoscitur, solum Principem immediate Imperio subiectum fuisse, reliquos, qui in territorio vixerint, Principis superioritatem agnouisse, ad comitia prouincialia vocatos venisse, nec ab aulae officio aut tempore belli praestans seruitiis fuisse immunes.



DISPVTATIO POSTERIOR IVRIS PVBLICI
DE
DISTINCTIONE
TERRITORIORVM
I M P E R I I
IN CLAVSA ET NON CLAVSA
Q V A M
AVCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
VT ADITVM SIBI
A D
SVMMOS VTRIVSQVE IVRIS HONORES
APERIRET
A. D. III. AVGVST. CICIOCCCLII.
A D
DISCEPTANDVM PROPONIT
ANDREAS WAGNERVS
A. M.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA





C A P V T I.

D E

ARGVMENTI OBSCVRITATE QVAEDAM DISSERVNTVR,
ET INSTITVTI RATIO EXPO NITVR.



Quantum detrimenti patria iura ex nimio *abusus Iuris
Civilis in Ia-
re Publico.*
isto perégrinarum legum et consuetudi-
num amore fenserint, quo quidam et
superiorum in primis seculorum Iure Con-
fulti capti, domestica praecepta prorsus interuerterunt,
statuque Romanae Reipublicae et Regni Longobardici
cum Germanorum institutis confuso, totam Iuris Publici,
eius nempe, quod Imperium Romano-Germanicum spe-
ctat, formam turbarunt, insigne ex hac, quam examinan-
dam aggressi sumus, de territoriis Imperii clausis et non
clausis doctrina capi potest documentum. Sunt

A 2

in

4 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

in Imperio Romano - Germanico territoria, in quibus omnia, quae terminis eorum continentur, in fide ac potestate vnius territorialis domini esse, et quoad iurisdictionem et superioritatem ipsius imperio subiecta non sine ratione censeantur. Hoc cum videant, subito ponunt isti brocardorum fautores regulam eamque, ut opinantur, sanctissimam: *Quidquid in territorio est, de territorio quoque esse praesumitur.* Ceteroquin parum ipsi solliciti, vnde sint orta, quoque tempore, quoque titulo tanta iura introducta, formamque Germaniae, in quam videlicet vetus illud Romanorum Imperium translatum esse sibi persuadent, ad huius normam secundum saluberrimam Iuris Ciuilis regulam: *accessorium sequitur principale;* esse instruendam rati, omnibus ferme Romanorum et Germanorum institutis moribusque inter se commixtis, ex formula prouinciarum Romanarum, sexcentis Iuris Iustiniane legibus et Decreti Decretaliumque canonibus vim et naturam brocardici sui demonstrant, atque summorum praeterea ex vtraque schola Iure Consularum auctoritate subnixi, feliciter se emerfisse e vadis, omnesque effugisse difficultates sibi videntur. Ne quis vero existimet, nos iusto seuiores et vehementiores in accusandis his iuris peregrini fautoribus esse, ipsorum adeat scripta, quibus nostram territoriorum distinctionem explicare conati sunt. Vbiique certe brocardica, leges, Senatusconsulta, et constitutiones Imperatorum inueniet. In celeberrima *territorii* definitione, ex §. 8. l. 239. de V. S. de prompta, fundamen-
ta

ta tantae molis locantur. E vico ortum eam habere patriam intelligi, cui reipublicae respondeat, ex *l. 30. ff. ad Municipalem*; et incolam his magistratibus parere debere, apud quos incola sit, ex *l. 29. d. t.* magno studio probatur. Quicquid intra urbem admittatur ad Praefectum Vrbi pertinere, ex *D. SEVERI ad Fabium Cilonem Praefectum Vrbi epistola* doctissimaque *VLPIANI* interpretatione ostenditur. Hisque feliciter perfectis, omnibusque Iuris Romani de iurisdictione, foro domicilii atque praesumptionibus doctrinis operose et callide applicatis, auctoriter de medietate vel immedietate, ut vocant, Status eiusdem Imperii sententiam pronunciant. Haec omnia vero rudi et indigestae legum moli superstruuntur, totque interpretum auctoritatibus muniantur, vt integra nonnumquam pagella *MENOCCHIORVM, GAILLIORVM, MASCARDORVM* aliorumque nominibus renideat, quid vero sit territorium clausum vel non clausum, quaenam diuisionis origo, quod fundamentum quisue usus plane non doceat. Quam parum bene atque feliciter haec autem procederet argumentandi ratio, cum alii viderent, duplimentque feudorum conditionem esse scirent, quorum alia *in territorio, et de territorio*, alia *in dominio tantum* essent, quaerentibus: quid in Imperio nostro obtineat? et *an, qui in alterius Status territorio feudum possideat, profubido eius habendus sit?* vt responderent, ad istam feudorum diuisionem maxime respiciendum, et omnino ex natura feudorum, vasallagii atque homagii omnem per-

*nec non Iuris
Feudalis.*

6 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

Argumenti
obscuritas.

soluendam esse quaestionem putarunt. Sed et hi non minus infeliciter haeserunt. Cum enim secundum feudi Longobardici conditionem nullo vinculo coniuncta esse viderent fidelitatem et subiectionem, et ad probandum hanc vasallagium nihil facere posse inteligerent; neglectis consuetudinibus feudalibus domesticis, haud satis diligenter considerantes, cui leges istae feudales datae, aut quinam illas consuetudines obseruauerint, quomodo illae in Germania receptae fuerint, quaeque auctoritas in decidendis controuersiis Iuris Publici iis adscribenda, (quae tria tamen in omni iure applicando consideranda veniunt), adiecta lege: *si vasallus se praefatione iuramenti, quo domino feudi fidem promittit, subditum fieri scierit, adeoque vel tacite vel expresse consenserit;* egregiam se rei suae medicinam attulisse putarunt, in sopiaendis vero et componendis ipsis litibus ad Ius Feudale Longobardicum semper respicientes vniuersam hanc doctrinam immensis difficultatibus implicarunt, maximisque tenebris ossuderunt. Inde tanta argumenti obscuritas et caligo, tot tricae et argumentationes in circulum, ut mirum non sit, in tam diuersas viros eruditos abiisse partes. Multi enim parum apte et concinne ad haec Germanica nostra Ius Romanorum accommodari intelligentes, optimum illud, quod supra attulimus, brocardicum tamquam inutile reiiciunt, imo velut prorsus ineptum exagitare non dubitant. Alii, Iuris Iustinianei doctrina non minus innutriti, legibus contra leges pugnant, iisdemque fere argumentis, quod alteri

teri stabilierunt, funditus euentur. Multi clausa territoria inueniri negant. Alii omnia clausa esse, contendunt. Plerique denique distinctionem hanc, quippe nec explicatam satis, nec probatam, velut *imaginariam, inanem, in cerebro doctorum in fauorem eorum, qui se iurisdictioni atque iuri territorii subducere conentur, natam, purum putum inuentum hominis Sopkifae, nec ex principiis ad aquatis, nec ex legibus Imperii fundamentalibus deducitam,* rident atque traducunt. De veriore ergo diuisionis fundamento inueniendo cogitarunt recentiorum quidam summi viri, qui in eo studiose elaborarunt, ut abusus peregrinarum legum ex Iure Publico tolleretur, cumque longe remotam et a Iure Feudali et Ciuiili esse hanc quaestionem intelligerent, ex iisdem rationibus, quibus superioritas territorialis probatur, adeoque ex historiae monumentis hoc Iuris Publici de territoriis clausis et non clausis caput explicare conati sunt. Hi quamquam, communis tramite reliquo, et faciliorem et apertiores viam inuenient, tamen aut priscis sententiis non ita prorsus misisse repudium videntur, quin aliquatenus illis adhuc inhaereant, aut argumentorum fundamenta in hypothesibus historiae valde dubiis nec satis probatis posuerunt. Quare factum, ut magni nominis viri atque nostrorum Iuris Publici doctorum plerique distinctioni huic minus faueant, et quamquam saniores istius patronos vera protulisse concedant, eos tamen rem suam probasse, atque vim quam probaturos negent. Horum sententiam com- *Instituti ratio.*
muni quasi consensu receptam nos quoque, ut sit, quoniam

8 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

dam fecuti, mirabamur, quid sit, quod multi, tametsi distinctionem hanc plane relicant, eamque inconstanter atque inutilem, quoties ex instituto contra eam disputant, dicant, in describendis tamen et celebrandis quarumdam Germaniae terrarum iuribus, frequenter iura territorii clausi competere illis asseuerent, alii vero, a vocabulis quidem abhorrentes, veram differentiam tamen, quae territoria clausa et non clausa intercedit, non concedant solum, sed egregie illufrent, eamque minime negligendam, nedum reiiciendam putent. In tanto eruditorum diffensu cum de verbis tantum altercari nobis viderentur, rem haud inutilem, nec ab aliis ita expeditam, vt nihil amplius desiderari posset, nos acturos arbitrati sumus, si pluribus explicaremus, quae territoria nomine clausorum veniant illis, qui, spretis legibus Iuris Romani, Canonici et Longobardici, a Iuris Publici ratione longe alienis, ex historia patriaeque consuetudinibus distinctionem hanc explicare conati sunt, et quorum praecipui sunt L V D . M E N C K E N I V S , W E R N H E R V S , et qui primo loco nominandus erat I L L V S T R I S S I M V S C O M E S H E N R I C V S D E B V N A V . Neque itaque nos ipsius diuisionis patrocinium suscipimus, neque quae Imperii territoria clausis, quae non clausis adnumeranda sint, quodnam diuisionis in contentionibus de superioritate et subiectione sit pondus atque robur, qua ratione ea adhibenda, quaeque eius habenda sit ratio, in hac commentatione excutere animus est.

CAPVT

IN CLAVSA ET NON CLAVSA.

CAPVT II.

ORIGO DISTINCTIONIS TERRITORIORVM
IMPERII IN CLAVSA ET NON CLAVSA
INDICATVR.

Variam esse terrarum Germaniae formulam, nec iura territorialia vbiique esse eadem, sed alibi pleniora, alibi magis restricta, neminem, ne illum quidem, qui per transennam tantum Germanorum historias legit, aut Iuris Publici scriptores vidit, fugere potest. Accuratus si Germaniae statum, idque, quod prouincias intercedit, discrimen consideras, esse territoria inuenies, in quibus omnes, qui lares suos ibi collocant, et bona sive allodialia sive feudalia possident, licet liberi et immediati sint, bonaque ea feudi nomine ab Imperatore vel aliis Imperii Ordinibus accepta teneant, subiectio-
Differentia
prouinciarum
Germaniae
ratione Land-
sufficiens,
nis tamen onere grauentur, et tamquam *Landaffii* Princi-
pi per omnia subditi sint et habeantur, nisi quod com-
muniter in ista prouincia obtinet, ad se non pertine-
re, idoneis rationibus demonstrent. ^{a)} Inutile et alienum ab instituti nostri ratione esset, quod moris vel obseruantiae est, et diuturno vsu inualuit, multis pro-
bare argumentis. Nec enim in hac commentatione,
quo

a) LIMNAEVS I. P. T. IV. Add. ad L. V. c. 2. LVNDORPIVS
A. Pl. T. VII. p. 512. LVNIGIVS in der Grundfeste
Europ. Potenz. Gerechtsam. T. I. p. 68. 75. PFANNE-
RVS Hjlor. Comitior. L. VI. §. 8. SECKENDORFF Teut-
scher Fürstenstaat P. II. C. I. §. 3.

B



10 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

quo titulo tanta iura ad quosdam Imperii Principes peruerent, explicandi, nec prouincias, quae iis gaudent, enumerandi animus est. Ne tamen temere nos aliquid dixisse videamur, e re esse putamus, quaedam exempla adiicere. *Austriæ* eam, quam diximus, rationem esse, testes habemus I.O.H. CVSPIANVM^{b)}, MEGISERVVM^{c)}, LVNDORPIVM^{d)}, LVNIGIVM^{e)}; *Bauariae*: KNICHENIVM^{f)}, MEICHSNERVM^{g)}, SCHWANEMANNVM^{h)}; *Pomeraniae*: MAEVIVMⁱ⁾). Nec minus de *Saxonia* cum Ernestinae tum Albertinae stirpis¹⁾, Ducatu Magdeburgensis

ſi

- b) in *Austria* p. 34.
- c) in *Annal. Carinth.* L. II. c. 22. p. 1576.
- d) *Af. Publ. T. VII. L. VI. c. 4. p. 466.*
- e) *Reichs-Archiv. Part. Spec. T. III. Absatz IV. n. 39. p. 71. et T. IV. p. 634.*
- f) *de Vestit. Paſſ. P. II. c. 5. n. 142.*
- g) *Dec. Camer. T. III. Decif. 9. p. 100.*
- h) *Decif. Camer. Decif. 10.*
- i) *P. II. Decif. 325. et in rechtl. Bedenken in Contributionis- und Exemtions-Sachen no. 147.*
- 1) *DE LYNCKER de Grav. extrajud. C.V. Seſſ. I. HORNIUS in I. Prad. Feud. C.XIII. §. 6. HERTIVS de Subjeſt. territor. §. 3. N. D. de BERGER in Elec. Diſc. Forens. p. 1318. ubi: In Saxonia omne homagium est personale, nullum reale, scilicet tantum. Nam ab Henrico Ducis Saxonie tempore homagium reale v. c. die Lehnspflicht, coaluit cum personali die Unterthanen-Pflicht, arque adeo Landſtibios reales eosque sive allodiales sive feudales factos fuisse personales constat, ut liquet ex formula: treu, hold, gewärtig und gehorsam zu seyn; in quorum verborum tria priora: treu, hold und gewärtig; indicant fidelitatem; posterius, gehorsam, subiectionem. Formulam*

*si^m), et terris Brandenburgicisⁿ) constans docto-
rum sententia est, qui ibi bona possident, more anti-
quitus recepto, subditos esse, iisdemque legibus teneri.
Quid multa? In quibusdam Germaniae territoriis hoc
esse in more positum, ut nemo sine iuramento subie-
ctionis recipiatur; nec illi quidem, qui distinctionem
territoriorum Imperii in clausa et non clausa rident
atque reiiciunt, negant. Proprium vero ac solenne
illud esse his prouinciis, nemo dubitat, qui diuersae
aliorum territoriorum conditionis habeat rationem, in
quibus Comites et Nobiles, vasalli Principum, etiam
ratione feudorum, quae ab Electoribus aliisque Princi-
pibus accepta tenent, immediate Imperatori et Impe-
rio subiecti sunt, nec domini feudorum in eos vllam
iurisdictionem, praeterquam in iis exercent, quae ad cu-*

B 2

riam

*mulam in terris Gotbaicis et Altenburgenibus consuetam repe-
ries in Goth. Lands-Ördn. P. II. C. 2. T. I. p. 121. Altenb.
Lands-Ördn. P. II. C. 2. T. I. p. 157. Ihr sollt geloben und
schwören, daß ihr -- euern Erbherrn und Landesfürsten unter-
thänig, getreu, hold, gewärtig und gehorsam seyn
wolltet. Ipsi Austraci administri olim non dubitarunt, Saxo-
niam atque Thuringiam bis prouinciis accensere. IMHOFIVS
Norit. Proc. L. III. c. 3. §. 6. ILLVSTR. AVCTOR des Eu-
ropäischen Herolds.*

*m) Formulam iuramenti v. apud LVDOVICI im Lehns-Pro-
cess c. XI. §. 8. p. 227. Ihr sollt huldigen und schwören dem
-- als euern natürlichen Erb- und lehns-Herrn -- von
Lehns und Unterthänigkeits wegen getreu, gewärtig und gehor-
sam zu seyn.*

*n) LIMNAEVS in I. P. L. VI. c. 6. no. 3. Iuramenti Formulam
inuenies apud STRYCKIUM in Exam. Iur. Feud. App. n. 6.*

12 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

a legibus Imperii fundam-riam feudalem pertinent °). Nec leges Imperii fundamentalibus hoc, quod prouincias intercedit, discrimen non ignorata, ignorant. Haud operae pretium facturi nobis videmur, si magnam ex antiquis Imperii Recessibus aliisque Constitutionibus afferremus locorum vim, vbi prouinciarum, in quibus praedia beneficiaria, quae *in territorio* sunt, etiam *de territorio* esse inueniuntur, mentio facta est. Sat erit adduxisse verba der *Ordnung des Regiments zu Augspurg* de anno 1500, in cuius titulo sexto haec leguntur: *Der andre Kreys begreift die Bisthum, Fürstenthum, Land und Gebiet des Erzbisthums von Salzburg, der Bischoffen von Regenspurg, Freyfingen, Passau, auch der Fürsten von Beyern und die Landgraffen, Prälaten, Herren, Frey- und Reichs-Städte, bey und unter ihnen gesessen.* Maxime vero probat hanc distinctionem *INSTRUMENTVM PACIS OSNABVRGENSIS^P*, vbi frequentissima eius iniicitur mentio. Prae ceteris haec notatu maxime digna nobis visa sunt, Art. V. §. X. no. 28. *Libera et immediata Imperii Nobilitas omniaque et singula eius membra una cum bonis suis feudalibus et allodialibus, nisi forte in quibusdam locis ratione honorum et respectu territorii vel domiciliis aliis Statibus reperiuntur subiecti, -- idem ius habent, quod supra dictis Eleitoribus, Principibus et Statibus competit.* Porro ab ipsis Imperatoribus in Capitulatio-

o) ROSENTHAL. *Syn. Feud. C. V. Concl. 78. n. 9 seqq.*

p) *Art. V. §. IX. no. 25. §. XII. no. 30. 31. Art. VIII. Prooem. et no. 13. I. P. M. §. 62. Conf. A. B. c. 5. §. 1.*

tulationibus ^{q)} agnatum et confirmatum est illud provinciarum Sacri Romano-Germanici Imperii discrimen. Nec in scholis tantum doctorum alicuius momenti, nullius autem in controversiis Iuris Publici ^{et in controversiis Iuris Publici visitatis} vñsus esse, ex eo manifestum est, quod nec Imperii iudicacia a diuisionis huius visitatissimae consuetudine abhoruerint, quoties de subiectione et superioritate, de quam crebrae in Germania lites sunt, inter Principes et Landassios disceptatum est. Exemplo nobis sint gravissima contentio inter Austriacos et Bambergensem Episcopum ^{r)}, nec non supremum Ordinis Melitensis siue Ioannitici in Teutonia Magistrum, qui sedem Heidersheimi fixam habet ^{s)}; controversia Electoris Bavariae et Comitis Ortenburgensis ^{t)}; Ducis Brunsvicensis

B 3

fis

q) *Capitulatio Leopoldi Art. III. VII. XLIV.*: qui in sequentibus Capitulationibus reperiti sunt. EBERHARDVS A WEIHE in tractatu, quem de foederibus sub nomine WAREMVND ab EHRENBERG edidit L. II. c. 1. no. 40. scribit: in multis Imperii conuentibus definitionem der Landassery sollicite et curiose quaesitam, nondum tamen inueniam esse. Mout virum dolium praefatio Rec. Imp. Spir. de an. MD C. Nec tamen putes, proceres Imperii de definitione logica fuisse sollicitos, sed in genuinis eius criteriis et signis describendis elaborasse videntur.

r) LIMNAEVS T. I. Add. ad L. V. c. 2. SCHWEDER. *Theatr. Praetens. et Controvers. Illusfr. in Europa L. II. Seß. I. c. 24. LVDWIG. Germ. Princ. L. III. c. 3. §. 24.*

s) FRIDR. LVDOV. de BERGER in Append. ad *Animadu. in Coccej. Iur. Publ. Prud. p. 781.*

t) *Acta Comitis Ortenburg. contra Electorem Bauariae in BEOLDI Theſ. Praet.*

14 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

sis contra Ciuitatem Brunsuicensem ^{u)}); Hassiae cum Nobilibus des Busseker Thals ^{x)}; quae mirifice agitata sunt inter Serenissimos Saxonie Duces et Principes Comitesque Schwartzburgenses ^{y)}, atque Hatzfeldenses ^{z)}; disceptata inter Potentissimum Borussiae Regem et Comites Mansfeldenses ^{a)}; et quae circa competentiam fori in Curiis Prouincialibus Saxoniciis ratione Comitum Schoenburgo-Glauchensium ^{b)}, et Comitum Waldecciae ^{c)} aliisque causis similibus acta sunt.

Distinctionis In his grauissimis dominorum territorialium et Landschaftsterritoriorum in clausa et siorum litibus sopiendis et componendis cum elaboratione clausa o-

rient Iuris Publici doctores, accuratius de *specifico*, quem vocant, *charactere* prouinciarum, in quibus tanta videntur iura, cogitarunt. Inde enata nobis videtur territorialium in clausa et non clausa distinctione. Quo vero tempore, quoque auctore introducta ea fit in Iuris Publici scientiam, definire nec licet, nec si liceret, rem nostram explicandam aliquid adiuuaret. Parum enim

refert,

u) SCHWEDE R L. IV. Sect. VI. c. 7.

x) SCHWEDE R L. IV. Sect. XIII. Subsect. II. c. 5. ELECTA
Iur. Publ. T. I. p. 980. FABER Staats-Cantzley P. XIII.
c. 7. p. 274.

y) SCHWEDE R L. XXIX. Sect. III. c. 4. ELECTA Iur. Publ.
T. I. p. 960. et 102. T. II. p. 1074. T. III. p. 786. et 1102. T. IV.
p. 661. et 739. conf. B. G. STRV VII D. de iure Landaffiliatus
in Thuringia.

z) SCHWEDE R L. IV. Sect. XXIX. Subsect. V. c. 1.

a) SCHWEDE R L. II. Sect. VII. c. 17.

b) LUDWIG Germ. Princ. L. III. c. 3. §. 24. LÜD. MENCKE-
NII D. de vi superioritatis territorialis in territoriis clausis.

c) RICHTER. Conf. Vol. II. Conf. 1. et 2.

refert, nosse, quae sit vocabulorum aetas, quisue divisionis auctor? Modo istam, quam commemorauimus, prouinciarum Germaniae differentiam veram, non in cerebro doctorum esse natam, diuturno vsu inualuisse, a legibus Imperii fundamentalibus non ignorari, atque controuersiis Iuris Publici decidendis usum praebere, certum probatumque sit.

CAPVT III.

TERRITORIORVM CLAVSORVM ET NON
CLAVSORVM NOTIO EX MENTE RECENTIORVM
EXPLICATVR.

Quaenam itaque sint territoria clausa, quae non clausa, quisue verus eius atque definitus conceptus? quaeritur. Quae res multum sane habet difficultatis et laboris, atque illud cum omnibus Iuris questionibus, in quibus persoluendis ad mores atque institutiones singularium prouinciarum prouocandum est, commune, ut, cum Principes haud facile patiantur, sua ac Ordinum Provincialium iura diuulgari, et singularium prouinciarum Ius Publicum componi, perarduum sit, certam formulam constituere, quam sequamur. Sed elaborandum nobis est in definiendo eo, in quo omne territoriorum clausorum et non clausorum discrimen positum est. Quod ut accuratius cognoscatur, summo studio primum in id, quod iuris communis est, inquiramus, deinde in quo haec vel illa a recepta regula aberrant,

16 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

Triplex fidelitatis genus. errent, diligenter ostendamus. Triplex fidelitatis genus ponit ius Feudale Longobardicum ^{d)}, ministerialis, subiectionis et vasallagii, quae vernaculis vocibus, *Amts-* et *Diener-Pflicht, Erb- vel Landes-Huldigung, Lehns-* *Pflicht vel Lehns-Huldigung* distinguimus. Diligenter ea a se inuicem fecerit O B E R T V S : *Vassallus, inquit, fidelitatem iurare sic debet: Ego iuro ad haec sancta Dei Euangelia, quod a modo in antea ero fidelis huic, sicut debet esse vassallus, domino: nec id, quod mibi sub nomine fidelitatis commiserit dominus, pandam alii ad eius detrimentum, me sciente.* Diuersa ab hac iurandi formula ministerialium est fidelitas, quam quis ratione officii sui domino praestare debet, olim vero Regum, Principum, Episcoporum Ministri, Praefecti, Palatini, omnes denique domestici et familiares, quibus communione erat *Ministerialium* nomen, praestarunt. Si vero *domesticus*, pergit O B E R T V S , id est familiaris eius sit, cui iurat, aut si ideo iurat fidelitatem, non quod habeat feudum, sed quia sub iurisdictione sit eius, cui iurat, no[n]uinatim vitam, membrum, mentem et eius rectum honorem custodire iurabit. E quibus etiam constat, quod nam a ciuibus vel subditis ratione iurisdictionis ordinariae aut superioritatis territorialis vel imperii exigatur sacramentum, plane diuersum a vasallatico illo, quod feendum et feudalem tantum respicit iurisdictionem. Plures vtriusque sacramenti siue fidelitatis formulas exhibet

d) II. F. 5.

hibet O B E R T V S ^{e)}) et aliam prolixiorum, quae has quasi interpretatur, inuenies apud S I G O N I V M ^{f)}). Sed satis manifesto ex his intelligitur, nullo vinculo secundum regulam iuris Longobardici inter se coniuncta esse vasallagium et homagium. Quod sacramentorum discri-
Vasallagii et
homagii dif-
ferentia.
 men quamquam non antiquis Imperii nostri moribus, sed Italicorum feudorum natura niti videtur, receptum tam-
 men cum consuetudinibus Longobardicis in Germania est, atque in ipsis legibus Imperii fundamentalibus, Au-
 rea Bulla ^{g)}, Pacis Westphalicae Instrumento ^{h)} et Ca-
 pitulationibus Imperatorum agnatum et confirmatum, nec in formulis in curiis feudalibus nostris receptis ne-
 glectum aut sublatum est ⁱ⁾). Seinem Lands-Herrn
 getreu, hold, gewärtig und gehorsam; vel unter-
 thänig, gehorsam, hold, treu und gewärtig zu seyn,
 als einem getreuen Lands-Unterthanen seinem rech-
 ten Erb-Herrn und Lands-Fürsten zu thun schuldig;
 iure iurando promittit subditus. Verbis magis tempe-
 ratis iurare solet vasallus, daß er wolle treu und hold
 seyn, wie einem treuen Lehmann gegen seinen Lehn-
 Herrn zu thun gebühret. Vocem, gehorsam, raro
 inuenies, cum illa secundum usum iuris Publici obe-
 dientiam

e) H. F. 6. et 7.

f) de Regno Italiae L. VII. p. 176.

g) Cap. XXV. §. 2. ubi: terrae, districtus, vasallagia et homagia.

h) Art. V. §. 14.

i) RITTERSHVS. Pand. Feud. L. I. c. 10. ITTER de Feud. Imp.

c. IX. §. 38. STRYCK, in Exam. I. F. Append.

C

18 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

dientiam subiectionis inferat,¹⁾ vbi vero occurrit, caute de obedientia vasalli accipiendam esse monent iure Consulti.²⁾ Ea vero est omnis sacramenti vis atque natura, vt secundum illud, quodnam munus iurantis sit, quaeue eius partes, velut ad certam normam atque regulam describere possit. Duriorum ergo intelligis subditi esse conditionem, quam vasalli. Cum enim vasallus ratione feudi tantum, quod possidet, fidelitatem praestet, in causis, quae officium vasalli remque in feudum datam non tangunt, domini directi imperio subiectus haberi nequit. Subditus vero obedientiam Principi territorii pollicitus, in omnibus, quae ad reipublicae salutem spectant, siue leges ferat, siue tributa imponat, siue alia superioritatis territorialis iura exerceat, iussis Principis parere debet. Accuratus qui diuersam vasalli et subditi conditionem cognoscere cupit, eos adeat, qui latius in ea describenda elaborarunt^{3).} Nobis ostendisse sufficiat, vasallagium nullam per se inferre subiectionem, nec e domino directo superioritatem colligi posse. Vnde patet, neminem, qui pro eo, quod vsu praedii vel aliis rei fruitur, militaria aliaque officia se praestitum promisit, ad maiora seruitia iure compelli posse, sed subiectionem

1) ASSERTIO ALTENBURG. contra Waldens. p. 49. HEIDER
in Deduct. Lindau. p. 840.

2) HORN. Iurispr. Feud. C. XIII. §. 3.

3) HILDEBRAND. in D. de vasallagio subiectionem non inferatur. CAIVS RVDOLPHVS DE SPOR in D. de natura vasallagii et subiectionis in territoriis S. R. I. PFEFFINGER ad Vitriar. L. III. Tit. 19. §. 3. d. T. IV. p. 4.

ditionem diuersam a conditione vasalli, aliis signis declarari, adeoque eum, qui Principi bona in feudum obtulit, vel ab eo accepit, propterea imperio eius subiectum non putari ^o). Ad subiectionem si respicis, eam quoque diuersam esse intelligis. Arctiori enim vinculo cum republica coniunctus est, qui domicilium ibi collocat, laxiori quasi, qui possessiones in territorio habet, sed alibi commoratur. Ille ex praescripto Iuris Romani ratione personae iurisdictioni Principis, in cuius terris viuit, subiectus est, hic vero ratione bonorum tantum a iussis eius pendet, nec nisi in illis, quae ad bona spectant, in prouincia superiori subiecta sita, in ius ad dominum territoriale vocari potest ^p). Requiritur enim in Iure Romano ad subiectionem personalem domicilium ^q), quod aliquis non vbi praedia possidet ^r), sed ibi habere putatur, vbi *lares rerumque ac fortunam sedem constituit*, unde rursus non sit discessurus, si nibil auocet, unde cum profectus est, peregrinare videtur ^s). Non sola itaque bonorum possessione, sed habitatione constituitur forum domicilii. Pluribus tamen locis aliquem domicilium habere posse, velut si quis

C 2

plures

^o) ROSENTHAL. *Syn. Feud. C. III. qu. 3. n. 4. C. XII. Concl. I. n. 3. COCCEI. *Hypomn. Feud. Tit. XIII. §. 4.* CARPOV. *L. IV. Resp. 70. n. 24.* BERGER. *Resp. P. I. Resp. 29.* STRVV. *Synt. I. F. c. XI. Aph. 2;**

^p) *I. 5. C. vbi in rem. conf. STRVV. Exercitat. IX. Th. s. 1. LAW. TERBACH. ad ff. L. V. Tit. I. de Iudiciis §. ss.*

^q) *I. 17. §. 13. ff. ad Municipalem.*

^r) *I. 17. §. 13. l. 27. §. 2. ff. ad Municip.*

^s) *I. 7. C. de Incolis. l. 203. de Verb. signific.*

20 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

plures domos vel villas possideat, ita instructas, ut ex altera in alteram, quando ipsi libitum fuerit, commigrare possit, quidquid etiam quidam obiiciant, nec Iustinianae leges negant, nec moribus nostris aduersatur. Hanc, quam exposuimus, Iuris Romani de domicili foro doctrinam cum Germaniae nostrae prouinciis accommodare studerent Iure Consulti, atque inteligerent, secundum eadem verba cum eos iurare, qui domicilium in prouinciis superioris imperio subiectis collocant, tum istos, qui alibi commorantur, ad diuisionem homagii in reale et personale configuerunt, et quanquam eadem sit solennis iuramenti formula, diuersam tamen ratione effectus esse eius vim atque natu ram arbitrii sunt. Magna quidem varietate inter eruditos de diuisionis huius vtilitate veroque eius conceptu disceptatur. Nonnulli enim cum omne iuramentum personam obligare intelligent, velut ineptam eam reiciunt ^{t)}. Alii ob diuersam et incertam vocis *homagii* significationem, quod proprie adpellatur fidelitatis sacramentum ^{u)}, a recentioribus vero feudorum doctoribus de subiectionis iuramento accipitur, iuramentum, quod vasallus ratione feudi dicit, *homagium reale*, quod subditus,

^{t)} VULTEIVS de Feud. L. I. c. 6. n. 5. SCHVTZ I. P. D. c. VI. §. 17 RICHTER de Verb. signific. lit. i. n. 8. et Vol. II. Conf. 2. n. 96. TITIVS in Spec. I. P. L. IV. c. 5. §. 13. seqq. L. B. A. WERNHER. Sel. Obscrv. Forens. T. I. P. IV. Olf. 2.

^{u)} PIGNON. ad Marculf. L. I. c. 18. DV FRESNE in Glossar. hac voc. SCHILTER ad Ius Alemann. c. IV. §. 6.

subditus praefstat, *personale* vocant ^{x)} Multi homagium, quod vasalli subditi, quorum personae dignitas obstat, quo minus vere subditi esse possint, ratione bonorum et onerum realium e praediis debitorum praefstant, diligenter ab altero isto, quod ad personam etiam spectat, esse distinguendum rati, multum roboris ac utilitatis habere hanc diuisionem arbitrantur ^{y)}. Plurimi denique et ratione personarum Imperatori et Imperio immediate subiectarum, et intuitu eorum, qui in praediis non commorantur, distinctionem istam, si mores Germaniae probe respicias, tam idoneis argumentis, quam perpetuo usu communitam, atque grauissimis controversias inter Principes et Comites aliosque Imperii ciues immediatos de superioritate territoriali discutiendis egregie accommodatam esse contendunt ^{z)}. Igitur ex Iure Consultorum opinione Status Imperii et ciues Imperii immediati non ad personalem, sed realem tantum sacramento se obstringunt subiectiōnem. Eos enim, quamquam in alterius Status territorio possessiones habeant, iurisdictioni tamen eius esse subiectos, personae dignitas haud pati, eorumque status cum personali subiectiōne pugnare videtur. Ex his itaque, quae obiter a nobis

C 3 dispu-

^{x)} STRVV. Synt. I. F. C. VIII. §. 6. p. 272. N. D. DE BERGER. Electa Disceptat. forens. Tit. XL. §. 7. p. 129. ASSERT. ALTENBURG. contra Waldeck p. 172.

^{y)} HOTTONIUS Illust. quaest. XXXV. p. 223.

^{z)} HERTIVS de subiect. territor. §. 14. in Opusc. Vol. I. T. II. p. 388. PAVRMEISTER de Iurisdic. c. IX. §. 118. VITRIAR. I. P. L. III Tit. 19. §. 3. quosque laudat PFEFFINGER ad h. l.

22 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

*Territorio-
rum clauso-
rum notio.*

disputata sunt, manifesto deprehenditur, si ad ius commune respicis: vasallum nullam inuoluere subiectionem, sed hanc alii signis declarari, aliisque rationibus esse probandum: secundum regulam ergo Iuris Feudalis vasallos pro subditis non esse habendos; homagium pro diuersa eorum, qui ad id praestandum obligantur, conditione diuersum esse, et Imperii Status ciuesque Imperii immedia-tos ratione personae omne imperium praeter Imperato-ris aspernari. Sunt vero in Germania territoria, in quibus omnes, qui bona ibi possident, sive vasalli Principis territorii sive alias domini directi sint, sive domicilium ibi habeant sive minus, quamquam iure Statuum gau-deant, vel Imperio immediate subiecti sint, ad homagiū non reale solum, sed personale etiam praestandum tenentur, adeoque pro Landsaffiis habendi sunt, nisi aliud quid vel paetis sanctum sit, vel ex gratia Princi-pis obtineat. Quare factum, ut Iure Consulti cum ar-ctissimum illud vinculum, quo vasallum et homagium, cum reale, tum personale, in quibusdam Imperii Roma-no-Germanici territoriis coniuncta sunt, Landsaffiatum plenum efficere, haud temere dicere consueuerint, in prouinciis, quae tantis priuilegiis gaudent, *Landsaffiatum plenum*; in reliquis, in quibus possessio bonorum perfe-tam subiectionem non infert, *minus plenum Landsaffia-tum* vigere scribant. Atque haec Imperii territoria supra laudatis Iuris Publici doctoribus clausa vocari, patet ex definitionibus a M E N C K E N I O traditis, ab ILLVSTRIS-SIMO VERO COMITE DE BVNAV egregie contra

NEV-



NEVMANVM DE PVCHOLTZ defensis, et ab omnibus, qui summos hos viros fecuti sunt, probatis. Vocant TERRITORIVM CLAVSVM uniuersitatem domino territorii, satura Imperatoris et Imperii potestate, subiectam, propriis limitibus ita conclusam, ut intra eos plenissimus Landfassiatus obtineat, omnesque vasalli regulariter sint subditi. NON CLAVSVM TERRITORIVM vero iis est uniuersitas domino territorii subiecta, propriis limitibus ita non conclusa, ut intra eos plenissimus Landfassiatus obseruetur, et vasallagium cum subditi conditione regulariter cobraereat.

CAP V T I V.

DE

VERO TERRITORIORVM CLAVSORVM
FVNDAMENTO DISPUTATVR.

Sed quomodo factum sit, ut quaedam Germaniae territoria a iure communii nostris temporibus recepto deflectant atque recedant, et sacramenta fidelitatis et subiectionis cum eius, quod rem tangit, tum istius, quod personam afficit, diuersa plane e doctorum sententia et a se iruicem aliena, arcto et rato foedere sint coniuncta, ut paucis quaeramus, instituti postulat ratio. De vasallagii atque homagii nexu primum videamus. *Vasallagii et homagii nexus.* Magna quidem varietate inter eruditos de eo disceptatur, an dominus territorii prouincialibus legibus cauere et sancire hoc possit, ut vasalli sui etiam sint subditi.

Negan-

Negantem sententiam plurimi amplexi sunt. Quod si haec controuersia ex iusto et aequo esset diiudicanda, multa eaque non leuis momenti argumenta ad tuendum domini territorialis ius inde peti posse arbitramur. Sed mittamus haec. Vniuersam enim causam non ex regulis iusti atque iniusti metiendam, neque ratiociniis solum ex natura et definitione superioritatis territorialis plenariae ductis, quae, vt loquuntur, summae potestati sive maiestati aemula in territoriis clausis aequali dignitate ac potestate nobilem admittere nequit, confici posse, sed e maiorum consuetudinibus atque pristina feudorum forma explicandam esse nemo dubitat, qui Landsassiatum non vi legum prouincialium, sed antiquissimo vsu inualuisse intellexit. Num antiquior in Germania sit fidelitatis vasallatae exactio, quam subditorum in vniuersum, et num maiores nostri, Romanorum morem secuti, nullum a singulis subditis subiectionis solenne iuramentum exegerint, hic expedire non iuuat. Id certum est atque ex historiae scriptoribus ^{a)}), Regumque Francorum Capitularibus manifeste intelligitur, antiquissimis iam temporibus, promissionem obsequii et subiectionis factam esse Regibus iureiurando, quod sacramentum fidelitatis dicebatur

a) GREGORIVS TVRONENSIS *Histor. Franc.* L. VI. c. 31.
Tunc misit nuntios ad supra dictos Duces, dicens: ingredimenti Bituricum, et accedentes usque ad ciuitatem sacramenta fidelitatis exigite de nomine nostro. IDEM L. VII. c. 12. Igitur Gunthramnus Rex Comites suos ad comprehendendas ciuitates direxit; ut exigentes sacramenta suis eas ditionibus subiungarent. IDEM L. IX. c. 20. et c. 31.

tur. Ad hanc subiectionem veteres atque primaeuas fidelitatis formulas respicere, et licet vasallatice tantum fuerint, non tamen mere vasallis non subditis, sed vasallis subditis competuisse obseruant SCHILTERVS^{b)} aliique^{c)}. Taliis fuisse videtur vetustissima formula ista Carolina, quam exhibet BALVIVS^{d)}: *Sacramentale qualiter promitto ego, quo ab isto die in antea fidelis sum Domino Karolo (piissimo Imperatori) filio Pippini Regis et Berthanae Reginae puramente absque fraude et malo ingenio de mea parte ad suam partem et ad honorem regni sui, sicut per dictum debet esse homo domino suo. Sic me adiuuet Deus et ista Sanctorum patrocinia, quae in hoc loco sunt, quia diebus vitae meae per mean voluntatem, in quantum Deus mihi intellegit dederit, sic attendam et consentiam.* Nec ab antiqua feudorum conditione abhorret haec vasallagii et homagii coniunctio. Cum enim ab initio Reges feuda subditis concederent, siue ut eos ad seruitia militaria praestanda arctiori vinculo adstringerent, siue ut praemissis ad suscipienda officia Imperii excitarent Nobiles, plerumque olim, cui vasallagium, eidem quoque fidelitas subiectionis imperata fuit. Quod diligenter obseruatum esse, egregie patet ex charta diuisionis Imperii a Ludouico Pio Imperatore inter Pipinum, Ludouicum et Carolum filios anno DCCCXXXVII. Aquis grani in generali populi conuentu data^{e)}, vbi fanci-

tum:

b) ad Ius Alemann. C. IV. §. 9.

c) ITTER. de Feud. Imp. C. IX. §. 36. LUDWIG. in D. de indultu feudalii C. III. §. 4. litt. I.

d) in Capitular. Reg. Francor. T. I. p. 378.

e) in Capitular. Reg. Francor. T. I. p. 378. c. 5.

26 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

tum: *Praecipiendum nobis videtur, ut post nostrum ex hac mortalitate discessum, homines vniuersiusque eorum accipient beneficia, unusquisque in regno Domini sui et non alterius, ne quando per hoc, si aliter fieret, scandulum aliquid posset accidere.* Eo itaque factum est, ut voces *Hulde*^f), quae in antiquissimis formulis deprehenditur, et *homagium* utrisque vasallis et subditis esent communes^g). Ab hoc more Caroli M. temporibus discessum fuisse videtur. Saepe enim principes potentiores ab homagio praestando animo alieniores beneficia ab Imperatoribus sibi oblata repudiasse legimus. Exemplum huius rei notatu dignissimum de Ethicone eiusque filio refert CHRON. WEINGARTENS. MONACH.^h). Henricus Ethiconis filius cum suasu Principum et maxime ipsius Imperatoris Ludouici Pii hortatu, homagio praestito, Imperatori se subiecisset et beneficii loco quatuor millia mansuum in superioribus Bauariae partibus ab eo accepisset, pater eius Ethico, nobilitati suae et libertati multum sic detrahi ratus, iratus vehementer et consternatus animo in villam, cui nomen Ambirgo, non amplius visurus filium, secessit, nec vixquam cum eo in gratiam rediit. Elegans sane

est

f) *De subiectionis iuramento eam usurpat scriptor apud BROWERVM in Annal. Treuiren. ad an. MCCIII. L XVII p. 186. antiquus, quem BALVIVS L. I. Miscellan. inseruit. contra CHRON. RHYTHMICVM in Leibn. Scriptor. Brunsvic. T. III. p. 36. vasalli iuramentum Hulde dicit.*

g) HERTIVS de subiect. territor. §. 13. in Opus. Vol. I. T. II. p. 381.

h) *de Guelphis Principibus in Leibnit. Scriptor. Brunsvic. T. I. p. 382.*

est conjectura SCHILTERI, opinantis: cum obser-
vatum fuerit, rem in abusum vergere, et fidelitatem re-
stringi ad solos vasallos, etiam ad reliquos subditos,
quoad subiectionem sine vasallagio extensam fuisse per
formulam alteram, quam BALVIZIVS affert: *Sacra-
mentale qualiter ego repremitto Domno Karolo p[re]fissimo
Imperatori filio Pippini Regis et Berthanae, fidelis, sicut
homo per dictum debet esse domino suo ad suum regnum
et ad suum rectum. Et illud sacramentum, quod iura-
tum habeo, custodiā et custodire volo, in quantum ego
scio ac intelligo ab isto die in antea. Sic me adiuvet
Deus, qui coelum et terram creavit et ista Sanctorum pa-
tronicia. Exstat certe Constitutio Caroli M.¹), qua eam
non tantum ab illis exigit, qui antea secundum prio-
rem iurauerant, sed et ab his, qui adhuc ipsum pro-
missum nondum perfecerant, et expresse edicit: *vt
omnibus traderetur publice, qualiter unusquisque intelli-
gere posset magna in isto sacramento, et quam multa
comprehensa sint. Repetita posthaec taepius sunt illa
iuramenta¹). Anno DCCCV. a Carolo M. sanctum^m): *vt nulli alii per iuramentum fidelitatis promit-
tatur, nisi nobis et unicuique seniori ad nostram utilita-
tem et sui senioris exceptis his sacramentis, quae iuste
secundum legem alteri debentur; et ad annum DCCCXII.
iubentur Missi regiiⁿ): *vt populum iterum fidelitatem****

D 2

pro-

i) CAPITVLAR. II. §. 2. An. DCCCII. apud Baluz. c. l.

l) CAPITVLAR. II. c. l. apud Baluz. T. I. p. 375. CAPITVLAR.
incerti anni c. 47. p. 518.

m) CAPITVLAR. II. c. 9, apud Baluz. T. I.

n) CAPITVLAR. I. 88, ad An. DCCCXII. c. 13. apud Baluz.

28 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

*promittere faciant, secundum consuetudinem iam dudum ordinatam. Et ipsi adperiant et interpretentur illis boni-
zibus, qualiter ipsum sacramentum et fidelitatem erga
nos seruare debeant. Ipse quoque Carolus Imperator
ad Aquis Palatum concilium habuisse traditur, ut ab
omnibus sacramentum fidelitatis acciperet Monachis et
Canoniscis^e). Rex Ludouicus Pius, quod testantur
ANNALES FULDENSES, Francos, Alemannos, Sa-
xones atque Thuringos sibi fidelitatis iure confirmat.
Tale quoque in Caroli Calui Capitularibus fidelitatis iu-
ramentum^f), et prolixiora ab Episcopis, Laicis et to-
to populo Regi DCCCLIII. praefixa adsunt^g). Nec,
ne defint testimonia, quibus Saxonum aeuo idem ob-
tinuisse constet, omittendus locus **ADELBOLDI**^h),
vbi Duces, Archiepiscopos, Episcopos, Comites reli-
quosque Saxoniae primates singulos Regi, data dextra,
fidem suam sacramentis promisisse refert. Principes
quoque, cum Pontificem Romanum de electione Otto-
nis Regis certiores facerent, *nos, inquietabant*ⁱ), *iam
dictum dominum in Regem elegimus; feuda nostra, quae
ab Imperio tenemus, a manu ipsius recipientes, hominum
sibi fecimus, et fidelitatem iurauimus.* Quibus praeter
egre-*

^e) **CHRON. BREVE ad an. DCCCII. apud Duchesnium T. I. Sac-
ramentale ipsum habes in Concil. vniuersi Orbis Append. T. VII.
p. 1864.**

^f) **CAPITULAR. Car. Calui de an. DCCCLXV. c. 13. apud
Baluz. T. II. p. 71.**

^g) **P. PITHOEVIS in Collect. Script. XII. p. 509.**

^h) **in vita Henrici S. §. 7. apud Leibn. p. 433.**

ⁱ) **LEHMANN. Chron. Spir. L. V. c. 74. ad an. MCXCIX.**

egregium WIPPONIS^{t)} locum, vbi de fidelitate, inquit, facta Regi minus necessarium dicere puto, frequenti vñi teste, quod omnes Episcopi, Duces et reliqui Principes, milites gregarii, quin et ingenui omnes, si aliqui momenti sint, Regibus fidem faciant; sexcenta alia addi possent. In conuentione ab Henrico Pulchro Duce Saxoniae Comiteque Palatino ad Rhenum cum Archiepiscopo Bremensi inita^{u)}, Ministeriales ipsius Palatini eius iussu fidelitatem fecisse dicuntur. In testamento Ottonis IV.^{x)} rogantur fidissimi Ministeriales sub fidelitatis obsequio, quod in priuilegio a Conrado III. anno MCXL. ciuitati Asten dato^{y)} fidelitatis debitum vocatur, et verbis sequentibus: fidei nostrae studium et obsequii propositum; explicatur. In alio priuilegio eidem ciuitati a Friderico I. anno MCLIX. concessio inuenies: ut autem praefata ciuitas in omni fidelitate deuotior et ad seruitium Imperij videatur promptior; quae loquendi formulae in iuramento Imperatori a Ciuitate, vel Principibus a Ministerialibus praestito certe non de vasallia fidelitate, sed de obedientia subditorum interpretandae sunt. Milites praesidiarios castris munendis adhibitos, subditos fuisse, nemo facile dubitat, iuramentum tamen, quo isti obstringebantur, fidelitatis sacramentum vocari, non raro deprehendes^{z)}. Sed

D 3

vnde

t) in vita Conradi III. p. 428.

u) Apud AVCTOREM assertoris libertatis Bremensis p. 786.

x) Apud MEIBOMIVM in Apologia pro Ottone IV. Imp. p. 148.

y) VGHEL. Ital. Sacram. p. 516.

z) In litteris Comitis a Dilsberg de an. MCCLXII. ad Electorem Palatinum datis, apud FREHERRVM in Origg. Palat. P. II. c. 10. p. 101.

30 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

vnde paulisper defleximus, eo redeamus. Haec subiunctionis et obsequii sacramenta, quae Imperii subditos et vasallos praestare oportebat, Duces, Marchiones, Comites, Landgrauios, eos scilicet, quibus officia Imperii a Regibus erant demandata, nomine Regum a subditis exigisse constat, quemadmodum eadem auctoritate iurisdictionem eos exercuisse, tributa collectas ve imposuisse, omniumque negotiorum, quae ad reipublicam administrandam spectabant, curari gessisse scimus. Sed cum Principum Germaniae potestas in quibusdam prouinciis sensim ea accepisset incrementa, vt, qui antea, Officialium partibus functi, Imperatori in omnibus morem gesserant, iam dominationis alienae impatientes, Ducatus et Principatus haereditario iure possidere et pro arbitrio illis leges dare inciperent, iuraque regalia, non vt olim, Imperatorum, sed suo quilibet nomine exercere auderent, subiunctionis quoque sacramentum non Regibus amplius, sed sibi dici voluerunt, idque vt efficerent, omnem mouerunt lapidem. Eadem itaque, quae olim fuerat, mansit feudorum ratio, eadem vasallorum conditio in iis scilicet prouinciis, in quibus Principes omnes reliquos sibi subiecerunt, summanque potestatem, translatis in ipsos omnibus Imperii iuribus ac feudis, ab Imperatoribus confirmatam natu sunt. Ita enim constitutis rebus, cadebant in eundem vasalli fides et subiectio, adeoque fidelitatis formulae subiunctionem praecessisse, arguebant, et licet vasallatae tantum essent, tamen competebant non mere vasallis non subditis, sed vasallis subditis. Ita euenit,

vt



vt omnes vasalli essent Landsassii. Qui enim praedia sua olim ab Imperatoribus beneficii seu feudi loco accep- perant, iam a Principibus, quorum subditi erant, ac cepta ferebant. Qui vero bona sua Principibus suis, quos pro dominis agnoscebant, in feudum offerebant, subditi eorum iam erant, adeoque superioritati eorum bonorum oblatione subducere se non poterant. Ne que qui in his regionibus, post Landsassiatum iam intro ductum, aut Imperio aut aliis Principibus bona sua in feudum obtulerunt, hoc ipso potestati dominorum territorialium, quorum superioritas agnita, confirmata, priuilegiis Imperatorum, iustissimis titulis longaque pos sessione erat munita subtrahere se potuerunt. Quam quam itaque Domini territoriorum in oblationem feudorum aut expresse aut tacite consenserint, ius territorii tamen sibi conseruarunt, nisi expressis pactis aliter inter eos conuenerit. Manifeste ex his patere putamus, qua ratione in regionibus, in quas olim *Landsassiatus* introductus est, vasallagium et homagium ita coaeruleint, vt omnes vasalli pro Landsassii haberentur. Patet quo que ex his, quo modo factum sit, vt in aliis territoriis, quae olim vnius potestati subiecta non fuerunt, Comites et Nobiles, vasalli Principum, etiam ratione feudorum, quae ab Electoribus aliquis Principibus tenent, immediate subiecti sint Imperatori et Imperio, nec domini feudorum in eos ullam iurisdictionem exerceant, quam eorum, quae ad curiam feudalem pertinent. Nec mirum iam videbitur, Longobardorum iura ad territoria clausa adplicari non posse. Principes enim Italiae ad illud fa-

figium



32 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

stigium potentiae, quo Germaniae proceres, aut numquam, aut, quod certissimum est, non ante leges Longobardorum feudales latus peruererunt. Vieti subiugati que fuerant Longobardi a Regibus Germaniae. Quid igitur mirum, vietiis eos grauius imperitasse, quam ciuibus suis Germanis? Ab antiquissimis quidem temporibus in Longobardorum regno Ducatus, Comitatus et Marchionatus deprehendis ^{a)}), sed Comites isti et Marchiones Imperatorum tantum magistratus fuere. Duces quidem potentia et honore eos longe antecedebant, magnaue possidebant bona, vel a maioribus, vel a Regibus accepta, sed iuribus, quae regalia vocantur, quippe Regibus referuatis, non gaudebant. Omnes enim fere, quorum in bellis experti erant fidem, personarum meritorumque ratione habita, Ducum, Marchionum, Comitum, Capitaneorum, Valvasorum et Valuasinorum dignitate ornarunt Imperatores, idque Ottonem M. in primis fecisse constat ^{b)}. Sed omnes minores etiam Valuasores et Valuasini solius Imperatoris potestati obnoxii feuda tenuerunt ^{c)}), neque vasallis maioribus subiecti fuerunt. Nec posterioribus temporibus Principes Italiae iura sublimia territorii vindicare sibi potuerunt, quae Regibus competitabant; quod quidam ex bellis cum Imperatoribus et Regibus Germanorum gelis, quae tamen latrocinia potius, quam bella, vocanda sunt,

et

a) CAR. SIGONIUS *de Regno Ital.* L. IV. c. I. STRVV. in Defensione pro Car. M. primo feudorum auct. in Ital.

b) SIGONIUS L. VII. ad an. DCCCCLXXIII. ERYC. PVA-
TEAN. Hifl. Insubr. L. VI. c. II.

c) SIGONIUS Hifl. Bonon, L. II. ad an. DCCCCLXVI.

et tempore belli arrogatis sibi iuribus falso colligunt. Sed quoties Reges opibus multum valuerunt, semper Longobardos nouas res molientes grauissimis poenis coercuerunt, folique iura maiestatis exercuerunt. Haud quidem negamus, esse hodie in Italia Principes, qui eadem aut maiora forte in territorii, quam quae Statibus Germaniae competit, iura exerceant, et pro liberis habeantur, sed post leges Longobardorum feudales iam latas, iamque fracta Regum in Italia potestate, hos extitisse certum est. Abunde iam, ut arbitramur, a *Homagii natura.* nobis explicatum est, qua ratione fidelitas atque subiectio in quibusdam Germaniae prouinciis in unum coaluerint. De homagio reali et personali, quod vocant, paucis videamus, idque potissimum agamus, ut quae vera homagii vis atque natura sit, intelligatur. Etsi enim quae in superioribus ex Iuris Iustiniane doctrina attulimus, vera esse haud negamus, parum apte tamen haec peregrina ad homagium, quippe a Romanis prorsus ignoratum, patriae vero nostrae proprium ac solenne accommodari arbitramur. Officia eius, qui iurat, qualia sint, quaeue eius partes, ex sacramento cognosci, supra iam monuimus. Age itaque videamus, quale praestet sacramentum subditus. Conceptis verbis iurat: *unterthänig, gehorsam, hold, getreu und gewältig zu seyn, was ein getreuer Landsasse und Unterthan seinem rechten Erb-Herrn und Lands-Fürsten zu thun schuldig ist.* Obedientiam promittit. Subditum se fatetur, et omnia in se recipit, quae subditi praestare solent Idem sacramentum dicit, qui bona in territorio possidet, sed

E

alibi

34 DE DISTINCTIONE TERRITORIORVM IMPERII

alibi commoratur. Ergo et hic, subditum se esse, iurato profitetur, nec minus, quam ille, omnes subditi partes ut impleat, iure compelli potest. Evidem haud ignoramus sum, non exiguum eorum numerum esse, qui longe aliter sentiant. Etsi enim homagium, quod quis ratione bonorum in territorio, in quo domicilium non collocat, praestat, iisdem constare verbis, quibus illud, quo is, qui vere subditus est, obstringitur, probe norunt, alia tamen ratione interpretandum, et ad onera tantum, quae ratione bonorum debentur, restringendum monent, eiusque opinionis hanc adferunt rationem: bonorum possessionem domicilium numquam constituere, nec villa ratione pro subdito haberi posse eum, qui alio loco habitat. Quod ut porro demonstrent, immensam legum Iustinianearum vim adferunt, quibus sententiam suam prorsus egregie communictam esse sibi persuadent. Ego vero vellem, ut considerassent prius, qui ita agunt, cuinam hae leges scriptae sint, quaeque earum in controuersiis Iuris Publici habenda sit ratio. His ante consideratis, demonstrent, eam iuris peregrini de foro domicilii doctrinam in Iure Publico nostro esse receptam, aut idem patriis legibus esse sanctum. Nobis quidem, ut nihil dissimulamus, nullus certe Iuris Iustinianei in causis Principum Germaniae usus esse videtur, nisi in quibus publice receptum atque comprobatum esse manifeste ostendi queat; quod vero in hoc, quod iam tractamus, capite numquam fieri posse, quouis pignore contendere ausim. Vi superioritatis territorialis diuersae plane a iurisdictione, cuius naturam leges Romanae describunt, et vnde doctrinam de

de foro domicilii ducunt, in arbitrio Principis est, quam legem rerum possessoribus dicere velit. Exteri igitur aut huic se submittant, aut possessiones relinquant aliis. Qui vero idem, quod a subditis exigitur, homagium praefat, eiusdem se cum subditis esse conditionis profitetur. Omne itaque homagium natura sua ita comparatum est, ut personale sit, id est subditum faciat, nisi aliter cum eo, qui bona in territorio acquirit, conuentum sit. Haud enim negamus dominum territorialem a iure suo aliquantum recedere, et adhibita quasi benigniori interpretatione, remittere aliquid ab homagii seueritate posse, sed hoc vim atque naturam homagii non mutat. Scio quidem fuisse, qui Iure Romano, cum egregie illud sibi fauere intelligerent, in auxilium vocato, litem dominis territorialibus intenderint, atque ut se Iustinianearum legum auctoritate potestati eorum subducerent, omnem mouerint lapidem. Sed summo studio hi peregrinis legibus semper restiterunt, et ut iura sua tecta atque salua conservarent, plerumque peruerterunt. Et si quando in sopiaen-
dis de subiectione litibus plus, quam par erat, Romani Iuriis auctoritati datum est, id eo tempore contigit, quo iudices nimio peregrinarum legum amore capti, nihil bene dictum putarunt, nisi quod verbis ex Corpore Iuris petitis probatum esset, qua tamen quorundam disciplina neque patrium ius euertitur, neque homagii, a Romanis certe ignorati, natura immutatur. Verum enim vero incongruum esse putas, Statum Imperii alterius Status iurisdictioni esse subiectum. Sed aut ad eos respicis, qui bona Landsassifica acquirunt, aut ad eos, qui iam ante ea pos-
fede-

36 DE DISTINCT. TERRITOR. IMPER. IN CLAVSA CETERA.

federant, quam immedietatis, vt vocant, ius consecuti sunt. Illos, quod attinet, quid quaeſo impedit, quo minus lubenti animo ſe ſubieciant, cum in arbitrio ipſorum poſitum ſit, aut ſubiectionis onus fuſcipere aut poſſeſſiones relinquere. De his vero probe tenendum eſt, non omnes olim Status Imperii immeđia ta condiſione ratione honorum gauifos eſſe, cum Landſaſſii quoque in Comitiis comparuerint. Valde enim ii decipiuntur, qui cum iure Status ſemper coniunctam fuſſe poſteſtatem territorii opinantur. Nam haec origine, forma, effectu egregie ab illo diſtat. Ius Comitorum tum iam inualuerat, cum ſuperioritas adhuc eſſet ignora ta. Posterioribus vero temporibus legibus Imperii fundamentalibus cautum eſt, ne Imperatores quendam territorialium Principum iurisdictioni eximerent. Iuſte itaque inde colligi poſteſt, omnes, qui homagium praeftant, Landſaſſios eſſe, niſi ſingulari ratione ipſis

*Territorio-
rum clauſo-
rum funda-
mentum.*

proſpectum fit. Ex hiſ, quae de natura pleni Landſaſſiatus, eoque vinculo, quo vasallagium et homagium in quibusdam Germaniae territoriis cohaerent, pluri bus a nobis diſputata ſunt, patet, origines territoriorum clauſorum ex historia eorum temporum, quibus Landſaſſiatus introductus eſt, eſſe repetendas, atque V E R V M T E R R I T O R V M C L A V S O R V M F V N D A M E N T V M eſſe, ſi veteres Ducatus atque Principatus in illo ſtatu, et qualitate, in quibus anteſ fuerunt, ad noſtra etiam tempora permanerint.



PROCANCELLARIUS
IOHANNES GODOFREDVS BAVER
S V M M O S
IN VTROQVE IVRE HONORES
PRAECLARISSIMO CANDIDATO
M. ANDREAE WAGNERO
L I P S I E N S I
D. III. AVG. CCICCLII
LARGIENDOS INDICIT
NEC NON
AN ET QVA RATIONE HYPOTHECA FEVDALIS
CONFUSIONE EXTINCTA REVIVISCAT
DISSE RIT



HYGIANE THERAPIAS
HOMINIS CORDIS ET VENARUM
SANTISSIMAE
IN VITRO IN VITRO
OTRACONICIS OMNIBUS
MAGNIS M
THERAPIA
D
THERAPIA
M
THERAPIA
THERAPIA
CONVIVIA
THERAPIA





anifestum esse arbitror, eum, qui in oppignoratio-
nem rei suae ab altero factam consentit, non qui-
dem actione personali, ad exsolendum debitum,
sed nexus pignoris teneri, ut, qua possessor, actione
hypothecaria conueniri possit, ad rem obligatam
creditori, consequendae satisfactionis caussa, ceden-
dam. Ait **M O D E S T I N V S** in *I. 26. §. 1. d. pignor. et*
hypothec. Pater Seio emancipato filio facile persuasit, ut,
quia mutuam quantitatem acciperet a Septitio creditore, chirograp-
phum prescriberet sua manu filius, quod ipse impeditus esset scribere,
sub commemoratione donus ad filium pertinentis pignori dandae.
Quaerebatur, an Seius inter caetera bona etiam hanc domum iure
optimo possidere possit, cum patris se haereditate abstinuerit, nec
metuiri ex hoc solo, quod mandante patre manu sua prescripsit in-
strumentum chirographi, cum neque consensum suum accommoda-
verat patri aut signo suo, aut alia scriptura? Modestinus respondit,
cum sua manu pignori domum suam futuram Seius scriperat,
consensum ei obligationi dedisse manifestum est. De obligatione
rei pignori datae agit ICtus, non de obligatione personae. Cu-
ius sicut nullam facit mentionem, ita eam haud obscure remo-
vet, dum speciem de filio patris haereditate se abstinentem for-
mat. Simulac enim filius non tantum in hypothecam rei suae
consentit, sed et paternam in se recipit obligationem, tam ra-
tio dubitandi, in abstentione a paterna haereditate posita, pa-
rum est opportuna, quam praecipua decidendi ratio, cur pa-
tris oppignoratio filio noceat, potius a propria filii obligatio-
ne, quam ab eius assensu repetenda est, dum illam, tanquam prin-
cipalem, non potest non accessoria pignoris obligatio sequi.
Porro quae **M O D E S T I N V S** de facto, quo filius sua scribit ma-

IV

nu, domum ad se pertinentem pignori futuram esse, eiusque consensu eo ipso tacite declarato tradit, illa non minus de consensu expresso accipere decet. Quemadmodum enim taciti et expressi eadem regulariter vis est et potestas, *l. 32. in fin. de legib.* *l. 13. §. fin. ff. loc. cond. EVERARDVS loc. ab expresso ad tacitum et contra n. 1. etiam si interdum expresa noceant, non expressa non noceant, l. 195. de R. I. IACOB GOTHOFREDVS in Oper. minor. ad d. l. ita is, qui expresse in hypothecam rei suae ab altero constitutam consentit, non contrahit debitum, neque huius promittit exsolutionem, sed solummodo alterius adprobat contractum. Et sicuti creditor, in venditionem rei sibi obligatae expresse consentiens, non nisi ius, quod in re habet, remittit, nec pro venditore habetur, *l. 8. §. 15. quib. mod. pign. vel hypoth. solu.* ita, qui expresse oppignorationem rei suae adprobat, alterius quidem debitum et pignoris dationem rata habet, minime vero eundem, quem debitor, cum creditore init contractum. Constat igitur, dominum et agnatos, vel simul inuestitos ex consensu in hypothecam feudi actione personali conueniri non posse, ad debitum, pro quo clientela est obligata, soluendum, sed solummodo ad feudum oppignoratum creditor, satisfactionis consequendae causa, dandum adstringi, eaque liberari datione, et si debitum valorem pignoris excedat. Nam huius solutio tantum a debitore ex contractu obligato eiusve haeredibus peti potest, ut vt tertius possessor per solutionem sponte factam a pignoris cessione se liberare, sicque absolutionem ab actione obtainere queat. *l. 16. §. 3. de pignor. et hypoth.* Quin et si dominus et agnati, aut simul inuestiti in hypothecam consenserint minus idoneam, si tamen damnum inde enatum dolo vel culpae eorum adscribi nequeat, eius nomine non tenentur,*

tenentur. Quia in re maxima inter eos, et magistratum in hypothecam fundi, sub sua iurisdictione sit, consentientem intercedit diuersitas. Ad huius pertinet officium, cauere, ne creditor decipiatur, sed pignus consequatur, quod sufficit ad debitum soluendum, dum eius rei, spectato pignoris pretio, et libris publicis, quibus hypothecae inseruntur, inspectis, facilem habet notitiam. Quod vbi negligit officium, damnum exinde ortum sua dat culpa, ad quod resarcendum non immerito adigitur. M E V. Part. VII. Dec. 142. n. 5. S C H I L T E R Exerc. XXXVII. §. 200. lit. a. At enim vero consensus domini clientelaris, qua talis, nec non agnatorum et simultanei inuestitorum secundum regulam non nisi eum desideratur in finem, quo hypotheca iis quoque praeiudicet, sive contra omnes et singulos possessores valorem exserat suum. Neque ad domini, qua domini, et multo minus ad agnatorum vel simul inuestitorum officium pertinet, curare, vt creditor idoneam consequatur hypothecam, sed, iisdem simpliciter consentientibus, neque pignus laudantibus idoneum, creditori incumbit in eius bonitatem inquirere, quo non facto damnum, quod incurrit, propria sentit culpa, quod sentire non intelligitur. I. 203. de R. I. IVST. HENNING. BOEHMER de hypoth. feudal. express. C. II. §. 6. Plures quidem dari ICtos, qui dominum et agnatos vel simul inuestitos, ob consensum in hypothecam, non tantum ut possessores actione hypothecaria, ad possessionem pignoris cedendam, sed et actione personali ad debiti praestationem cogi, opinentur, minimum ambiguae eorum locutioni posteriori assertum, a veritate alienissimum, in acceptis referendum esse, iudicat laudatus B O E H M E R dict. cap. II. §. 3. qua propter HARTM. PISTOR. Lib. II. Qu. 48. CARPZOV. de oner. va-

fall. feudal. Dec. II. pos. 1. n. 43. MAIER. Synt. Iur. feud. C. XXV.
p. 765. VVLTETI. de Feud. L. I. c. 10. n. 70. STRVV. Synt. Iur.
feud. C. XIV. aph. 23. STRYK. de obligat. feud. consens. munit.
C. IV. n. 9. reprehendit. Eadem ratione egomet ista dignus vi-
*debar censura, qui olim in *Disput. de feud. consolidat. temporar.**
§. XLIV. in fin. docui, ob debita, pro quibus domini consen-
su feudum est oppignoratum, dominum possessorem vi hypo-
thecae actione reali conueniri posse, et praeterea ex vera con-
ventione, ob consensum in oppignorationem, obligatum videri.
Quemadmodum vero d. l, non de omni debito, pro quo feudum
obligatum, sed de debitis clientelaribus, ad quorum solutionem
omnis feudi successor ex quasi contraetu deuincitur, mihi est ser-
mo, ubi consensus in hypothecam, quasi obligationem in veram
transformare videtur obligationem: ita mentem meam, qua ra-
tione dominus, sicut agnati et simul inuestiti, ex solo consen-
su in oppignorationem actione personali conueniri nequeant,
*abunde aperui in *Disp. d. hypothec. feud. absque consens. agnitor.**
et simul inuestit. subsist. §. XXIX. Eandemque fount
sententiam Doctores a BOEHMERO notati, qui omnes de iu-
re reali hypothecae contra dominum valente agunt, de quo
inter omnes constat, actionem hypothecariam non nisi ad au-
candam tendere possessionem. l. 66. de Euiſt. Certo igitur est
certius, dominum, nec minus agnatos et simul inuestitos,
ob debitum, quod ita comparatum non est, vt ad illius
praestationem quilibet feudi successor singularis lege vel con-
suetudine obstringatur, siquidem pro eo feudum pignori
supponatur, per consensum in oppignorationem istam non inire
obligationem, quae actionem producat personalem, sed soluni
ius hypothecae vires suas contra eos exserere. Quae thesis
prae-

praemittenda et stabienda fuit, quia faciliorem reddit resolutionem quaestione, alias difficultis, an et *qua ratione hypotheca feudalis per confusionem* (quae fit, quando vna eademque persona in creditoris et debitoris iura succedit,) *extincta, post temporis interuum reuiniscat?* Ad quam ut solide et accurate respondeamus, inter debita vasalli haereditaria, et debita feudi, caute distinguamus oportet. *Debita vasalli* vocantur, ob quae, si hypotheca deficiat, non omnis, in feudum successurus, sed tantum debitor eiusque haeredes conueniri possunt. *Debita feudi* vero duplicitis sunt generis, alia in *sensu lato*, pro quibus nempe beneficium pignori subiicitur, et ob quae, deficiente hypotheca, non contra tertium possessorem, sed solummodo contra debitorem et haeredes locum inuenit actio; alia in *sensu stricto*, quae vi legis vel consuetudinis quemlibet successorem, et si debitoris haeres non sit, neque clientela sit oppignorata, vel simpliciter, vel saltem in subfidum, ob allodii penuriam, comitantur, qualis obligatio quasi contractibus accensetur, et actionem producit personalem, quae tamen instar actionis in rem scriptae est, dum quemvis sequitur possessorem.

HARTM. PISTOR. L. II. Qu. 37. n. 9. CARPZOV d. oner. vasall. feudal. Dec. I. pos. 7. seq. HORN Iprud. feud. C. XXI. §. 1. 2. 3. STRV Synt. Iur. feud. cap. XIV. apb. 3. seqq. Quia debita vasalli haereditaria tantum personam ipsius, et haeredes, non aequae successores singulares, quales sunt dominus, agnati et simul inuestiti, qui non facti debitoris haeredes, afficiunt, inde, licet eorum causa beneficium consensu domini, agnatorum et simul inuestitorum pignori datum sit, ut propterea in *sensu lato* ad debita feudalia referantur, quod si tamen hypotheca feudalis pro iis constituta per confusionem sit extincta, ea, postquam deinde agnati,

VIII

agnati, vel simul inuestiti in feudum antea oppignoratum succedunt, vel idem ad dominum reuertitur, non reuiuiscit. Finge: Titius nomen emit haereditarium, quod vxor ipsius debet, quodque iure hypothecae, domini et agnatorum vel simul inuestitorum consensu confirmatae, inhaeret clientelae vxoris, domino in nominis et hypothecae cessionem consentiente. Liberi ex isto descendentes matrimonio, tam patris creditoris, quam matris debitricis sunt haeredes, quapropter crediti et debiti fit confusio. Eis sine prole diem obeuntibus supremum, beneficium ad simul inuestitum dominumue transit. Haeres allodialis vasalli vltimo defuncti, ob nomen a Titio emtum, actione experitur hypothecaria contra simul inuestitum, vel dominum, feudi possessorem, qui exceptionem confusionis obiicit, vnde quaestio exoritur, an ea locum inueniat? Aicentem, quam propugnamus, sententiam, suam facit AVTOR exceptionis et duplcae in actis judicialibus Friderici Caroli de Boerstell, contra Fridericam Wilhelminam liberam Dominam de Seckendorff, anno 1737. impressis fol. 19. seq. et pag. 36. seq. Frustra inter vasalli patrimonium feudale, et allodiale distinguit illius aduersarius, qui potius hoc gladio ipse iugulatur. Vtique nomen, pro quo feudum obligatur, res est principalis, per se subsistens, et ad allodium pertinens creditoris, a feudo multo magis separandum, quo magis ius pignoris accessorum, quamvis rem adficiat beneficiariam, in pleno creditoris est dominio, et hinc allodiale. Ut igitur simul inuestitus, qui decessoris haeres non est, in obligationem ex contractu profluentem non succedit, quoniam, vti supra probauimus, per consensum in hypothecam non contraxit, ita obligatio ista non reuocabiliter, sed perpetuo haeredem sequitur allodiale. Qui cum simul haeres est credi-

creditoris, nunquam definit confusio debiti et crediti. Quemadmodum vero, durante confusione, τὸ principale, nimirum obligatio debitoris non reuiuscit: ita quoque τὸ accessorium, veluti ius hypothecae, haud reuiuscere possit, necesse est. Obiicis, vasallum clientelam non possidere iure irreuocabili, et ius confusione sublatum reuiuscere, quoties cessat qualitas, ob quam confusa est obligatio, arg. l. 7. C. de pac̄t. vasallum igitur in feudum obligatum succedentem, creditoris et debitoris recipere qualitatem reuocabiliter, feudo ad alium delato successorem, qualitatem istam cessare, idcirco reuiuscere hypothecam, et, licet obligatio personalis non reuiuscatur, obligationem tamen realem sine ea subsistere, l. 38. §. fin. d. solut. hinc optimo iure restaurari. Immo vero falsum petitur principium, quasi possessio feudi reuocabilis omnem confusionem reuocabilem efficiat. Quin potius vasallo defuncto iura creditoris et debitoris, quae in ipso concurrebant, haeres ipsius allodialis irreuocabiliter continuat, sicubi debitum ita comparatum non est, ut tertius feudi possessor in obligationem succedat personalem, adeoque debitoris faciem assumat. Hinc in aprico est, obligationem istam ex cineribus suis nullo vñquam tempore reuocari, et fallaciam aduersae argumentationis in hoc vñico consistere, quo adstruitur, interemta licet personali obligatione, etiamnum obligationem realem existere posse et reuiuscere. Iam vero, quia pignus in securitatem crediti datur, sua sequitur sponte, ius hypothecae non principale esse et per se subsistens, sed accessoriū et referens, quod sine credito, veluti relato, concipi nequit. l. 5. pr. d. pignor. et hypothec. Inde obligationem personalem, quae principalis est, extinctam, non potest non accessoriū hypothecae nexus sequi. l. 178. d. R. I. Ait V L P I A N V S,

B

liberari

X.

liberari et finiri pignus, quacunque ratione obligatio eius fuerit finita. *l. 6. pr. quib. mod. pign. vel hypoth. solu.* Quod sicuti vel ipso iure sit, verbi causa per solutionem, *d. l. 6. pr. vel ope exceptionis*, vt, si debitor iurauerit deferente creditore, *se dare non oportere*, *l. 13. Eod.* ita regula est, in omnibus speciebus liberationum etiam accessiones liberari, puta, ad promissiores, hypothecas, pignora. *l. 43. d. solut.* Quam regulam adeo veram dicit **GIPHANIVS** *explanat. difficilior. leg. Cod. Iustini. ad l. 2. C. d. huit. pignor. p. 389.* vt nulla illius exceptio reperiri facile possit. Quemadmodum ergo nullum pignus vel incipere, vel durare potest, vbi nullum ab inito fuit, aut ex post facto sublatum est debitum: ita, obligatione principali interempta, neque reuiuscente, pignus, vel hypotheca illi accedens reuiuscere nequit. Minus recte ex *d. l. 38. §. fin. d. solut.* deducitur, durare pignus, et si obligatio principalis ex postfacto cessa^t. Nam quando fideiussor apud creditorem pignus in suam obligationem dedit, haec obligatio realis non solum obligationi fideiussoris, sed et per consequentiam obligationi debitoris principalis, pro quo fideiussum est, accedit. Vnde tum, quando fideiussor debitorem principalem haeredem instituit, non est mirum, hunc ex causa fideiussoria non teneri, et nihilominus pignus manere obligatum. *d. l. 38. §. fin.* Grauius mouere videtur dubium *l. 2. C. d. huit. pignor.* vbi Imperator **GORDIANVS** ait: *intelligere debes, vincula pignoris durare, personali actione subnota.* Quae dispositio impulit **NEGVSANTIVM** *d. pignor. Part. VI. Membr. 2. n. 5. seq. in corpore selector. tractat. d. pignor. et hypothec. p. 154.* vt regulam formaret, sublata licet actione personali, nihilominus manere hypothecariam, quia, licet a principio non possit constitui hypothecaria sine principali obli-

obligatione, tamen, postquam semel constituta, possit separari a principali. Quam regulam porro confirmat argumento *l. 3. l. 7. C. d. praefcr. 30. vel 40. annor.* quibus in locis, cum actio personalis praescriptione 30. annorum extinguitur, hypothecaria tamen aduersus debitorem, aut eius haeredes, non nisi 40. annorum silentio dicitur finiri. Nec minus prouocat ad *l. 59. ff. ad SCt. Trebell.* vbi, personali licet actione per confusione sublata, pignus tamen, siue actio hypothecaria durat. Eadem fouet sententiam **C VI A C I V S** ad tit. *Cod. de luit. pignor. Tom. IX. Operum p. 1235. seq. edition. Neapolit.* qui vterius adducit *l. 1. C. d. tit. de luit. pignor.* qua dicitur, manere pignus, licet ex duobus cohaeredibus alter pro sua parte soluerit creditoris, quemadmodum *l. 27. d. pignor.* et *l. 30. §. 1. ad L. Aquil.* probari putat, eum, qui non vitio caussae, sed sua culpa actionem personalem perdidit, non etiam amittere actionem hypothecariam. Quae argumenta eti parum curet **G I P H A N I V S** d. *l.* ad singula respondens: attamen *l. 2. C. de luit. pignor.* tanto-pere ipsi crucem figit, vt lectionem venditet vitiosam, et particulam *nou* per incuriam scribentis omittam esse, legendumque arbitretur: *intelligere debes, vincula pignoris non durare, personali actione submota.* Mihi neque allegata argumenta, neque affirmativa *d. l. 2. C. de luit. pignor.* lectio crucem figunt. Ipsa lex citata *59. ad SCtum Trebellianum*, ad quam **C V I A C I V S** perinde, atque **N E G V S A N T I V S**, aliique sequaces prouocant, facilem omnis dubii suppeditat resolutionem. Ex qua oppido patet, pignus non durare, vel reuiuscere, nisi obligatio principalis debitoris, minimum naturalis adsit, quae aequa pignora recipit, ac fideiuſſores. *l. 5. d. pignor. l. 6. §. 1. d. fideiuſſor.* Vnde vnica distinctio inter obligationem personalem, et huius effectum, *actionem personalem,*

XII

sonalem, omnem aduersae sententiae vim explodit. Vti notis-
simum est, obligationem naturalem secundum ius Romanum in
foro ciuili non producere actionem: ita lubentissime concedo,
vincula pignoris durare, submota actione personali, at strenue
nego, durare pignoris vincula, obligatione personali, etiam na-
turali penitus submota. Etsi effectus iste obligationis per-
sonalis, qui in actione consistit ciuili, ex post facto cessare possit:
non tamen sequitur, ipsam obligationem aliosque eius effectus
ciuiles, veluti ius hypothecae, cessare. Ipsa si cesseret obligatio,
et ne quidem naturalis superfit, vel reuiuiscat, omnino pigno-
ris vincula cessant. Quam regulam neque *d. l. 2. C. de huit. pi-*
gnor. neque reliqua aduersariorum argumenta euertunt. Equi-
dem per confusione naturalis tollitur obligatio, quia per na-
turam fieri nequit, vt idem sit creditor et debitor, vel quis sui
ipsius debitor esse possit. *I. 75. de solut.* Etsi vero hoc modo
omnis sublata sit obligatio, neque ob subtilem legum Romanar-
um rationem certo casu obligatio ciuilis reuiuiscat, nihil tamen
impedit, ne obligatio reuiuiscat naturalis, et cum ea ius hypo-
thecae, effectum in foro habens ciuili, quamvis ex obligatione
naturali reuiuiscente actio personalis institui nequeat. Qualis spe-
cies occurrit in *I. 59. ad SCt. Trebell.* Eademque ratione fieri
potest, vt actione personali praescripta, vel quoque culpa acto-
ris amissa, adhuc duret actio hypothecaria, quia obligatio na-
turalis neque praescripta, neque amissa est, vt taceam, nequi-
dem ex *d. l. 27. de pignor.* et *I. 30. §. 1. ad L. Aquil.* probari,
quod **C V I A C I V S** probare intendit, recte id monente **G I P H A-**
N I O *d. l.* Tum non quidem nego, alterum ex cohaeredibus
creditori pro sua parte soluentem ab omni actione personali li-
berum esse, neque tamen pignus pro ea parte liberari. *d. l. 1.*
C. d.

C. d. huit. pignor. Id vero sit ex eo, quod personalis obligatio pro parte alterius haeredis non soluentis est salua, et causa pignoris est indiuisa. *I. 65. d. Euiction.* Quapropter stat sententia, hypothecam feudi pro debito vasalli haereditario constitutam et confusione extinctam, feudo ad dominum, agnatum vel simul inuestitum delato, non reuiuscere, quia cessat obligatio personalis, quae ius pignoris cessare facit. Aliud obtinet in debitis feudalibus *strictè* sic dictis, vbi personalis actio contra dominum, agnatum aut simul inuestitum ex contractu vel quasi obligatos locum habet, maioris securitatis causa vero creditor insimul de hypotheca in feudo sibi prospexit. Verbi causa, in matrimonio in meliorationem feudi vxorii impensas faciente, vel residuum pretii, quo beneficium emtum est, soluente, non solum vxor, sed et quilibet in feudum succedens, siue sit dominus, siue agnatus, siue simul inuestitus, ad eiusmodi debitum refundendum obligatur.

II. F. 28. §. si vasallus. II. F. 8. §. e contrario. C O N S T I T. E L. SAX.

46. P. II. Quod et ad eum casum, quando vasallus ipse soluit residuum pretii, quo feudum emtum, extendit, et praeiudicio confirmat *HORN Decad. Obj. feud. c. IX.* Tum enim contra successorem actio personalis, et quidem actio vitilis negotiorum gestorum locum habet. *HORN Iprud. feud. C. XXI. §. 5.* Nam finge, ob eiusmodi debitum feudale beneficium vxoris insuper consensu domini, agnatorum et simul inuestitorum pignori subiectum esse. Liberi, patris creditoris haeredes facti, et in matris debitricis succedentes feudum, ratione patris sunt creditores, et ratione feudi materni sibi debent. Iis defunctis, et beneficio ad simul inuestitum, agnatum, dominum deuoluto, eorundem haeres allodialis sibi debere desinit, quia non possidet clientelam, ob quam antecessores sibi debebant. Hinc in persona

XIV

persona noui possessoris, verbi causa simul inuestiti, obligatio personalis reuiuiscit, non secus, ac creditor, sui haeres debitoris, simulac alteri alicui haereditatem vendit, debitoris respectum, quem vt haeres gessit, exuit, adeoque, quod sibi vt creditori defuncti debebatur, ab emtore haereditatis, nunc debitoris locum occupante, eoque ipso, vt debitum reuiuiscat, efficiente, recte petit. *l. 2. §. 18. d. haered. vel act. vendit.* Iftiusmodi petitioni igitur si ius accedat hypothecae, tum hoc, principale suum sequens, ad pristinum reuertitur vigorem, vt recte in simili specie ICti Vitebergenes cum ICtis Ienensibus contra Scabinos Lipsienses responderunt, teste BEYERO ad *Inst. L. III. tit. 30. pos. 36. lit. x.*

Non diutius in hac re morabor. Nam commendandus est
Vir praeclarissimus

M. ANDREAS WAGNER

qui in hac vrbe natus est anno huius seculi vigesimo septimo, parentes habens optimos, D. THOMAM WAGNER, Potentissimo Poloniarum Regi, et Principi Saxoniae Electori quondam a consiliis commissionum, nec non circuli ac praefectureae Lipsiensis praefectum iuridicum, matrem vero, CHRISTIANAM SOPHIAM, LEONHARDI BAVDISII, Iurym Doctoris, et sua aetate primi inter Praetores Lipsiae urbanos, filiam. Domi primum prouida parentis voluntate a praeceptoribus idoneis litterarum et artium liberalium rudimenta didicit, inter quos T A V B N E R V S artium magister, et hoc tempore Gymnasii Goerlicensis Subrektor, eam in ipso erudiendo probauit fidem, idque studium, vt ipse caram sibi semper et gratam eius rei memoriam nunquam ex animo discessuram esse arbitraretur.

bitraretur. Ipsum deinde optimo orbatum parente, omni tempore tanto prosequuti sunt amore summe reuerendus IOECHER, et affinis optime merens, VATER, ut singulari eorum cura, nec non benevolentia ERNESTI, cuius institutione et doctrina in omni litterarum elegantiorum ambitu per sex profecit annos, ornatus et adiutus, iacturam, quam fecerat, sentiret minus. Id quod pio gratissimoque animo lubens meritoque agnoscit et profitetur, semperque se agniturum et professurum esse promittit. Ad nostram accessit academiam anno huius seculi quadragesimo sexto, mox doctore in omni usus philosophia GLOECKNERO, antiquo et integro amico, optime de se merito. In mathefi HEINSIO adfuit auditor, in excolandis humanitatis studiis CHRISTIO, ERNESTIO ET GELERTO. Historias ipsum docuerunt IOECHER ET LEICHE. In absoluendo iurisprudentiae studio, praeter me, sectatus est PETERMANNVM, STIEGLITZIVM senatorem, et WIESENHAVERVM. Quorum in se merita et benevolentiam grati memoria animi prosequitur. Ut rationem redderet studiorum, praeter epistolam, *de seruis poenae*, ad STIEGLITZIVM I. V. D. et senatorem scriptam, subiecit eruditorum examini dissertationem *de expeditione L. Domitii Abenobarbi in Germania trans Albin*, quam praefide IOECHERO anno CIOIOCCXLVIII. publice defendit. Anno sequenti summos in philosophia consequutus honores, Goettingam se contulit, quamque ibi GEBÄVERI, AYRERI, BOEHMERI, SCHMAVSII ET THOMPSONII perspexit benevolentiam, fidem ac doctrinam, gratus summa animi recordatur laetitia, et publice praedicat. Postquam anno CIOIOCCCL. rediit Lipsiam, a collegio nostro ad consuetum pro prima laurea admissus est tentamen, omnino dignus iudicatus,

AKT/K 3074 X 255852

XVI

tus, qui non solum in forum prodiret, sed et summos in iure ambi-
ret honores. Facultate igitur causas orandi a Potentissimo Rege
nostro impetrata, attigit forum, seque tradidit totum iurispruden-
tiae, quam vocant, iudicali. Nunc in altero, quod cum ipso sus-
cepimus, examine talem se praestitit, qualem ordo noster ad Do-
ctoris titulum et honorem consequendum perquam habilem iu-
dicavit. Cuius rei causa futuro die II. Augusti, in auditorio ICto-
rum hora secunda pomeridiana lectionem habebit cursoriam ad
I. 4. C. d. leg. Aquil. die sequenti vero Disputationem inaugura-
lem, eamque posteriorem iuris publici, *de distinctione territorioru-
rum Imperii in clausa et non clausa*, sine Praefide defendet. Quo
facto collega amantissimus, **GVSTAVVS HENRICVS MY-
LIVS**, Potentissimo Poloniarum Regi ac Electori Saxonie a
consiliis appellationum, curiae supremae prouincialis Lipsiensis
assessor, et ordinis nostri senior, vi potestatis a me vice Cancel-
larii acceptae, ipsi iura ac priuilegia Doctoris in vtroque iure,
excepta spe ad sessionem et votum in nostro collegio adspirandi,
largietur. Ad quam panegyrin, **RECTOREM ACADEMIAE**
**MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, utrius-
que reipublicae proceres, vt et generosissimos nobilissimosque Aca-
demiae ciues, praesentia sua condecorandam, qua decet obser-
vantia, rogo atque inuito. Dabam Lipsiae die domin. 9. post
festum Trinitatis, Anno **CICIOCCCLII.****

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA



MC



M, II, 141.
37, 23.
[= 475, 23]



ANDREAE WAGNERI
LL. AA. ET I. V. D.
DE
DISTINCTIONE
TERRITORIORVM
IMPERII
IN CLAVSA ET NON CLAVSA
DISPV TATIONES DVAE

ALTERA
AMPLISS. ORDINIS PHILOSOPH. CONSENSV

A. D. XXVI. IVL.

ALTERA
ILL. ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

A. D. III. AVG. CIOIOCCCLII

PRO

LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI
AD DISCEPTANDVM PROPOSITAE.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.